AN. LXXVII SERIES VII FASC. II. AN. 1952

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 63.931 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 10 - VI - 1952.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

ACTA PII PP. XII

De Basilica Collegiali S. Nicolai Barii eiusque Magno Priore quae Ordini Fratrum Praedicatorum committitur. (Adn. M. CASTELLANO) Pag. 183

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

S. Congregatio Consistorialis

Decretum erectionis Vicariatus Castrensis in ditione Canadensi. (Adn. A. PUGLIESE) . . . . . » 191
Litterae circulares ad Exc.mos ac Rev.mos Italiae Ordinarios: De meliore Cleri distributione inter Dioeceses. (Adn. G. URBANI) . » 196

S. Congregatio Concilii

Litterae circulares ad Exc.mos ac Rev.mos Italiae Ordinarios: de festis sanctificandis. (Adn. L. CARDINI). . . . . » 205

IURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota

Coram R. P. D. ARCTURO WYNEN, Ponente. MELEVITANA - *Iurium.* (Societas Borgia et Capitulum Collegiatae Birchircaranae - Exc.mus Ordinarius). . . . . » 217
Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente - *Nullitatis matrimonii et Dispensationis super rato.* . . . . . » 226

STUDIA ET CONSULTATIONES

Ae. HERMAN, De Motu Proprio « Postquam Apostolicis Litteris » D. 9 febr. 1952 ad Ecclesias Orientales dato . . . . » 233
X. PAVENTI, De statione missionali et vicario cooperatori missionali » 260
R. BIDAGOR, Recursus in causis separationis coniugum . . . » 273

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

I miglioramenti economici al Clero congruato (***) . . . . Pag. 287
Revisione canoni enfiteutici (E. SANTOSUOSSO) . . . . . » 288

France

Sur le droit du Saint Père d'hériter en France. (A propos d'un décret récent). (J. THARY) , ... » 292

RECENSIONES

Sacrae Romanae Rotae Decisiones seu Sententiae quae prodierunt anno 1942 cura ejusdem S. Tribunalis editae. (R. ROMANO) . » 297
C. ZERBA - *Explanatio Instructionis « Sacrosanctum » seu De normis a parocho servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittat (can.* 1020). (***) . . . . . » 323
J. F. DOHERTY M. A. S. T. D. - *Moral problems of Interracial Marriage.* (V. BARTOCCETTI) . . . . . » 327
J. M. PINNA - *Praxis Judicialis Canonica* (C. B.) . . . . . » 329
Code Oriental de Procédure ecclésiastique. Traduction annotée par F. GALTIER, S. J. (A. HERMAN) . . . . . » 330
D. M. BARTOLOMEI - *I rapporti patrimoniali dei coniugi nel diritto internazionale.* (C. B.) . . . . . » 331
A. ed A. QUARTULLI - *Successioni.* (G. LENTI) . . . . . » 331
N. ABBAGNANO - *Storia della Filosofia* (C. BOYER) . . . . . » 332
V. A. PADOVANI - *Storia della Filosofia e della Pedagogia* (C. BOYER) » 333
E. BOGANELLI - *Corpo e Spirito.* (F. ROMITA) . . . . . » 333

DOCUMENTA

Pii PP. XII Adhortatio Radiophonica Urbis christifidelibus data die decima februarii mensis anno MCMLII. . . . . » 337

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum (A. MAURO) . . » 341
Conventus iuris canonici VIII exacto saeculo, ex quo Decretum a Gratiano editum fuit. (A. M. STICKLER). . . . . » 347
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1952_77_2

BARENSIS

DE BASILICA COLLEGIALI S. NICOLAI BARII EIUSQUE MAGNO PRIORE QUAE ORDINI FRATRUM PRAEDICATORUM COMMITTITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacris in aedibus, quae variis de causis summa celebrarentur a fidelibus religione ac magnam nominis famam essent, per saeculorum decursum, in catholico terrarum orbe adeptae, ne divini cultus splendor deesset Romanis Pontificibus semper cordi fuit.

Quas apostolici muneris partes modo a Nobis requirit perinsignis illa S. Nicolai Episcopi Myrensis Basilica, qua Barensis civitas non parum nobilitatur, quaeque iure annumeranda est praestantioribus in sanctuariis, Deo in honorem Sanctorum Caelitum dicatis.

Hoc enim Sanctuarium anno millesimo octogesimo septimo initium cepit, cum Elias, coenobii S. Benedicti Antistes et postea Archiepiscopus Barensis, sacrae aedis cryptam, diagrammate facto, aedificavit exuviis S. Nicolai asservandis, paulo ante, uti fertur, a quibusdam nautis Barensibus a Myra illuc traductis.

Temporum decursu, templum ampliore forma donatum ac mirificae artis operibus auctum cum a Summis Pontificibus, tum a Regibus et Principibus christianis tot tantisque fuit cumulatum privilegiis, gratiis, beneficiis et concessionibus, ut ob religionis decorem evaserit celeberrimum et temporalibus bonis locupletissimum.

Innumerae propterea indigenarum et peregrinorum, vel ex orientalibus oris, fidelium turmae, nullo intermisso tempore, illuc confluxerunt, divi Nicolai imploraturae opem.

Clarissimus in Sanctuario floruit per omnes aetates monachorum et canonicorum coetus, qui divino cultui vacaverunt ac sacra diligentissime peregerunt officia. Illis autem sive monachis sive canonicis Magni Priores, quos vocabant, praefuerunt, quorum non pauci virtutis ac doctrinae laude praefulserunt, quique singulari exemptionis privilegio a Romanis Pontificibus donati, Basilicam eiusque instituta

studiose tuiti sunt. Quod antiquum exemptionis privilegium fel. rec. Benedictus XV, Decessor Noster ratum habuit ac confirmavit, per S. Congregationem Consistorialem decreto dato, die sexto mensis Decembris, anno millesimo nongentesimo undevicesimo.

Attamen in praesens, ob miseras temporum rerumque vices ac recentissimi belli eversiones, Basilica S. Nicolai, non modo pristinum amisit splendorem, sed plurimis etiam gravibusque implicatur difficultatibus, divinusque cultus aliquatenus in ea exolevit.

Quam ob rem clerus populusque Barensis, qui templum S. Nicolai ut princeps urbis monumentum civitatisque propugnaculum habet, enixis precibus nuper ab Apostolica Sede postulavit, ut Sanctuarii illius et decori et incremento opportune consuleret.

Nos itaque novo benevolentiae testimonio Barensium civitatem augere cupientes Nostraeque pietatis erga S. Nicolaum argumentum praebere, habita favorabili sententia venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis Consistorialis a Secretis, suppleto quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus rite perpensis, ea quae sequuntur apostolicae potestatis plenitudine decernimus:

I. Basilica S. Nicolai clerusque eidem ascriptus Apostolicae Sedi immediate subiecti sunt, ac reguntur normis, quae in Decreto continentur, cuius mentionem habuimus, a Benedicto XV dato die sexto Decembris, anno millesimo nongentesimo undevicesimo, cum immutationibus vero quae infra edicuntur.

II. Titulus « Magni Prioris » Archiepiscopo pro tempore Barensi honoris causa in perpetuum tribuitur.

III. Basilica S. Nicolai continentesque aedes Ordini Fratrum Praedicatorum, ad nutum Sanctae Sedis, concreduntur, una cum officiis et beneficiis, iuribus et oneribus, privilegiis et obligationibus ad eandem Basilicam pertinentibus.

IV. Basilicae praepositus, qui et familiae religiosae praeerit, a Generali Ordinis Magistro praesentatus, confirmari et institui debet a S. Congregatione Consistoriali. Cui sic confirmato et instituto omnia et singula iura, officia, privilegia et facultates competunt, quae in decreto, quod commemoravimus, Magno Priori tribuuntur.

V. Archiepiscopo Barensi eidemque Basilicae S. Nicolai Magno Priori potestas erit:

a) Uno ex diebus festis solemnioribus, semel pro semper eligendo, sacris pontificali solemnique ritu in Basilica S. Nicolai operandi;

b) convocandi in eandem Basilicam, collatis cum ipsius Basilicae praeposito consiliis, congressus seu conventus dioecesanos maioris momenti;

c) praesidendi, honoris causa, coetui cuius est solemnia in honorem S. Nicolai decernere (qui vulgo appellatur « Comitato delle feste patronali di S. Nicola »), pariterque nominandi eiusdem coetus moderatores, a regulari Basilicae praeposito praesentatos seu designatos;

d) praesidendi seu moderandi solemni supplicationi seu pompae, quae quotannis, mense Maio, in festo Translationis S. Nicolai peragitur;

VI. Basilicae regularis praepositus singulis annis de statu oeconomico et patrimoniali Basilicae litteris referet ad S. Congregationem Consistorialem cuius erit advigilare Nicolaitano Sanctuario sive circa res ad religionem moresque pertinentes sive circa temporalium bonorum, vel mobilium vel immobilium, administrationem, sive circa onerum piarum fundationum, donationum et oblationum exsecutionem.

VII. Praepositus idem, praeter ea quae statuuntur sub n. V Decreti, de quo diximus, facultates tribuere poterit confessiones audiendi et concionandi in Basilica sacerdotibus sui Ordinis, a propriis praepositis legitime probatis.

VIII. Idem pariter munere fungetur praesidis « de facto » coetus solemnibus habendis in honorem S. Nicolai, cuius iam mentionem fecimus, et Archiepiscopo Barensi, Magno Priori, viros in idem consilium cooptandos praesentabit.

IX. Licentia assistendi matrimoniis, in Basilica S. Nicolai celebrandis, ab Ordinario pro tempore Barensi dabitur.

X. Vacante quavis de causa officio praepositi Basilicae, is officio eodem fungetur qui in domo religiosa praepositi vices praestabit.

Ad quae omnia perficienda venerabilem Fratrem Marcellum Mimmi, Archiepiscopum Barensem, deligimus, eidemque facultates necessarias et opportunas attribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum quam primum transmittendi.

Praesentes autem Litteras validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super

his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et viri in ecclesiastica dignitate constituti sigillo munitis, eandem volumus prorsus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam constitutionis, commissionis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere, vel ei contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli ne noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, die quinto mensis Augusti, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri anno tertiodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
C. Card. MICARA
S. Collegii Sub-Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

(*A.A.S.* vol. 44, p. 201-204).

ADNOTATIONES

1. - Aedificatio Sanctuarii S. Nicolai civitatis Barensis incepit, sicut in Bulla legitur, anno 1087, ad exuvias S. Nicolai Episcopi Myrensis in eo digne asservandas, quas paulo ante nonnulli nautae illuc transtulerant. Perinsignis Basilica, anno 1108 plene exstructa, ab Episcopo Currado anno 1197, sub Caelestino III Papa, sollemniter fuit consecrata [1]. Bonis opportune cumulata, quadraginta Canonici et sexaginta Beneficiarii, sub iurisdictione Magni Prioris, cultus splendorem curabant et fidelium turmas, etiam ex orientalibus oris confluentium, recipiebant [2].

Decursu saeculorum, templum ampliore forma donatum, mirificae artis operibus auctum, privilegiis et beneficiis cumulatum,

[1] Cfr. A. PAGANUCCI, *S. Nicolò da Bari e i Domenicani*, in *Memorie Domenicane*, ottobre-dicembre 1951, Quaderno 824, p. 239.

[2] Cfr. *Sollemnis Actus Possessionis Basiliae S. Nicolai Barensis*, in *Analecta S. Ordinis FF. Praedicatorum*, a. 60, fasc. I, Jan.-Mart. 1952, p. 205.

« ob religionis decorem celeberrimum et temporalibus bonis locupletissimum » evasit.

2. - Anno autem 1919 Benedictus XV « de disciplinari ordine a capitulo et clero Basilicae S. Nicolai Barensis servando » cogitavit et decreto d. 6 Decembris eiusdem anni, per S. Congregationem Consistorialem dato (*AAS XII* (1920), p. 159-161), ordinariam iurisdictionem in Basilicam eiusque clerum immediate ad se advocavit. Ita ut, sicut in eodem decreto legitur:

« 1. La detta Basilica sarà immediatamente soggetta alla Santa Sede e sarà esente dalla visita e dalla giurisdizione dell'Ordinario locale, per tutto ciò che riguarda l'interno ordinamento per il servizio del culto e per la sua amministrazione temporale.

2. Il Gran Priore godrà dell'esenzione non solo locale nella sua dimora nell'ambito della Basilica, ma anche personale, come godono i superiori regolari dall'Ordinario diocesano.

3. Il resto del clero godrà dell'esenzione locale, se e fino che dimora nell'ambito della Basilica: fuori di essa sarà soggetto all'Ordinario diocesano locale per tutto ciò che riguarda la disciplina ecclesiastica; così che se alcuno per qualche colpa venisse ad essere colpito di qualche pena, il Gran Priore, debitamente avvertito, dovrà entro la Basilica osservarne e farne osservare le disposizioni, fino a che detta pena non sia stata nei debiti modi di diritto revocata annullata od espiata.

4. Il Gran Priore avrà la cura delle anime col diritto dell'amministrazione dei sacramenti, eccetto il matrimonio, entro l'ambito della Basilica per tutti gli addetti al Santuario, che abitualmente abitano nei locali annessi, siano essi ecclesiastici o secolari, e pei loro ospiti, con diritto anche dei funerali, se ivi decedessero.

Sono esclusi da questo privilegio gli inquilini degli appartamenti che, sebbene uniti alla Basilica, fossero affittati ad estranei non inservienti alla Basilica.

Come avente cura d'anime il Gran Priore dovrà tenere i libri parrocchiali, eccetto che pel matrimonio: e pel matrimonio, se accada fra gl'inservienti della Basilica, gli atti dovranno compiersi dal parroco della sposa, o da quello della Cattedrale di Bari.

5. Il Gran Priore potrà autorizzare a confessare ed a predicare nella sua chiesa, quelli che abbiano già ricevuto la pagella di confessori e di predicatori dall'Ordinario di Bari, in conformità al diritto comune ed alle recenti disposizioni generali...».

Sequuntur adhuc 11 normae, quibus recognoscitur et regulatur facultas Magni Prioris dandi litteras testimoniales et discessoriales, ascribendi canonicos et cappellanos, regulandi sacras functiones et infligendi poenas pro levioribus culpis, adhibita etiam, in casu necessitatis, sed « ad breve tempus », suspensione a divinis, appro-

bandi praehabito « nihil obstat » S. Sedis, statuta capitularia adhuc redigenda, participandi Synodo Dioecesanae, visitandi suam ecclesiam ac suum clerum et peractae visitationis relationem ad S. C. Consistorialem mittendi, etc.

3. - Antiquo exemptionis privilegio ab iurisdictione Ordinarii loci tam sollemniter rato ac confirmato, Basilica S. Nicolai reflorere videbatur; sed in praesens amissis, ex adversis rerum adiunctis, fere omnibus bonis temporalibus, « Canonici et Beneficiarii ad undecim reducti sunt, et quidem, nonnullis tantum exceptis, septuagenarii maiores. Inde erat quod cultus langueret, et conveniens spiritualis cura peregrinorum deficeret » [3].

Itaque Auctoritates populusque Barensis ab Apostolica Sede enixis precibus postulaverunt, ut decori et incremento illius celeberrimi Sanctuarii opportune consuleret. Constitutione Apostolica supra relata, inclito Ordini Fratrum Praedicatorum, qui ab aliquibus annis aliquam paroeciam in suburbio Barensi regunt, a Summo Pontifice Pio XII f. r. concredita est.

4. - Devotio erga S. Nicolaum Episcopum Myrensem inter huius Ordinis sodales initium habuit ipsius S. Dominici temporibus. Anno enim 1219 Fratribus Praedicatoribus Bononiae donata est a Domino Rodulfo de Faventia ecclesia S. Nicolai ad vineas, cuius in loco, post S. Dominici canonizationem, exstructa est basilica, in qua adhuc custoditur arca S. Fundatoris. Etiam in urbe Tarvisina Fratres Praedicatores aliquam aedificaverunt ecclesiam sub titulo S. Nicolai Myrensis; item in civitate Pratensi, sumptibus Cardinalis Nicolai O. P.. In multis dominicianis ecclesiis, praesertim Italiae meridionalis et insularis, altaria adhuc exstant huic Sancto Episcopo dicata [4].

In perantiquo libro, cuius titulus « *Vitae fratrum* », magna filiorum S. Dominici devotio erga S. Nicolaum haud paucis factis argumentisque describitur. Ipse B. Jordanus, secundus Ordinis Magister Generalis, introducitur ut ducens novitios, de sua vocatione dubitantes, « ad altare beati Nicolai », ubi consolatio et fervor eorum tentationibus subintrabat [5].

Quemdam fratrem, qui admodum tristis erat, huiusmodi visione Dominus est consolatus: « Videbatur sibi videre Christum, et ex una parte beatam Mariam et ex alia beatum Nicolaum, qui manum sibi super caput ponebat dicens: - Ne timeas, frater, quia omnia prospere evenient tibi et ordini tuo, domina nostra curam habente

---

[3] Ibidem.

[4] Cfr. Paganucci, op. cit. p. 240.

[5] G. de Fracheto, *Vitae Fratrum O. P.*, Lovanii 1896, p. 104.

de vobis. - Et statim vidit in aqua, quae transit iuxta Bononiam, navem plenam multitudine fratrum; et ait ei beatus Nicolaus: - Vides hos fratres? Ne timeas, quia tot sunt quot totum mundum implebunt - » [6].

Ita, iam ab exordio, tamquam Ordinis caelestis patronus, in festo 6 Decembris S. Nicolaus peculiari cultu honorabatur et usque - quaque a Fratribus Praedicatoribus recitatum fuit pulcherrimum officium proprium huius Sancti, in quo inter alia legitur: « Ex eius tumba marmorea sacrum resudat oleum; quo liniti sanantur caeci, surdis auditus redditur, et debilis quisque sospes regreditur. Catervatim ruunt populi, cernere cupientes quae per eum fiunt mirabilia » (Resp. ad I Vesp.).

Ad hanc celeberrimam tumbam custodiendam et peregrinorum turmas sacramentis reficiendas ac verbo Dei enutriendas, nunc Pius Papa XII, ex sua erga Ordinem S. Dominici benevolentiam, huius vocavit sodales.

5. - Basilica S. Nicolai clerusque eidem adscriptus remanent Apostolicae Sedi immediate subiecti et normae a Benedicto XV in praefato decreto editae in suo robore manent, nisi a contrariis nunc forte latis implicite revocentur et additis immutationibus in Constitutione Apostolica statutis. Ita, v. g. loco Capituli nunc habetur familia religiosorum Ordinis Praedicatorum.

Huic Ordini tamen Basilica continentesque aedes, una cum omnibus iuribus et obligationibus ad eamdem Basilicam pertinentibus, concreduntur *ad nutum S. Sedis.*

Titulus « Magni Prioris » Archiepiscopo Barensi pro tempore « honoris causa » in perpetuum tribuitur, facta ei potestate aliquas functiones peragendi vel aliquos coetus praesidendi in eadem Basilica S. Nicolai.

Omnia autem et singula iura, officia, privilegia et facultates, quae in decreto Benedicti XV Magno Priori tribuuntur, competunt Basilicae praeposito, qui idem est ac Superior familiae religiosae. In Ordine Fratrum Praedicatorum prior conventualis potest esse etiam rector ecclesiae conventualis, at non solet; in casu vero id statuitur, et merito, cum tota illa familia religiosa in servitium ipsius Basilicae incumbere debeat.

Notatu digna est norma, qua conceditur Praeposito potestas tribuendi facultates pro confessionibus et praedicatione in Basilica sacerdotibus sui Ordinis, a propriis praepositis, quamvis non ab Ordinario Barensi, legitime probatis. In hoc habetur aliqua ampliatio praecedentis privilegii.

---

[6] G. de Fracheto, op. cit., p. 27.

Aliae normae sunt clarae, neque peculiari indigent interpretatione.

6. - In exsecutionem Constitutionis Apostolicae Fr. Emmanuel Suarez O. P. Magister Generalis, die 3 decembris 1951, sequens edidit decretum erectionis Conventus S. Nicolai Barensis:

« Basilicam Sancti Nicolai civitatis Barensis, Ordini Nostro nuper concredidit Summus Pontifex Pius Papa XII. In exsecutionem Bullae diei 5 augusti 1951, eiusdem Basilicae canonicam possessionem cepimus die 25 novembris labentis anni.

Penes eandem Basilicam Communitas religiosa haberi debet, quae eiusdem Basilicae curam gerat. Jamvero, ex declaratione Sacrae Congregationis Consistorialis Nobis facta, Documenta Pontificia quibus nobis Basilica traditur constituunt licentiam Sanctae Sedis a iure requisitam ad erigendam Domum religiosam.

Pro exsecutione dispositionum Sanctae Sedis in hac re, consiliis conlatis cum Patribus Consilii Generalitii, sequentia decernimus:

1. Erigimus Domum religiosam, et quidem uti Conventum Prioralem, in Basilica Sancti Nicolai civitatis Barensis.

2. Licet Basilica tradita fuerit Ordini, ad omnes iuridicos effectus sit et intelligatur tradita Provinciae Nostrae Regni, et Communitas subsit Provinciali eiusdem Provinciae, cum iure Prioris interessandi Capitulis Provincialibus, etc. Salvis dispositionibus pontificiis ad rem statutis, et infra dicendis.

3. Cum Sacrae Congregationis Consistorialis sit Priorem confirmare atque instituere, antequam Conventus Sancti Nicolai Barensis procedat ad electionem Prioris, Provincialis Provinciae Regni moneat Magistrum Generalem Ordinis ut hic una cum Provinciali et vocalibus electoribus agere valeat de idoneo candidato qui Sanctae Sedi deinde praesentari valeat. Scrutinium electionis directe transmittatur ad Magistrum Generalem Ordinis » [1].

Decreto autem Em.mi Cardinalis a Secretis S. Congregationis Consistorialis, dato die 15 Decembris 1951, primus *Superior* Basilicae S. Nicolai ex Ordine Fratrum Praedicatorum, Rev.dus Dominus Hieronymus De Vito, a Rev.mo Magistro Generali legitime praesentatus, nominatus fuit et institutus.

M. Castellano

---

[1] *Decretum erectionis Conventus S. Nicolai Civitatis Barensis*, in *Analecta S. Ordinis FF. Praedicatorum*. a. 60, fasc. I, Jan.-Mart. 1952, p. 203-204.

ACTA SACRARUM CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

ERECTIONIS VICARIATUS CASTRENSIS IN DITIONE CANADENSI

Materna Ecclesiae pietas quaecumque aeternae fidelium saluti profutura sunt sedula navitate instruenda curat. Ideoque Ssmus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, spirituali bono consulere satagens eorum qui Ditionis Canadensis Exercitui nomen dedere vel eidem quovis modo subiiciuntur, habito favorabili voto Excmi P. D. Hildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titulo Synnadensis in Phrygia, et in Ditione Canadensi Delegati Apostolici, necnon de consilio infrascripti Cardinalis S. C. Consistorialis Secretarii, porrectis Sibi precibus annuendum censuit ac Vicariatum Castrensem in memorata Ditione Canadensi erigit et constituit, cuius sedes in urbe Octaviensi erit.

Vicariatus Castrensis constabit: Vicario Castrensi, tribus cappellanis delegatis et cappellanis militum.

Vicarius Castrensis libere nominatur a Romano Pontifice unus ex Ordinariis locorum Canadensibus.

Vicario Castrensi tribuitur facultas constituendi Cappellanum maiorem cuius esto Vicarii Generalis officium gerere et munus.

Cappellanos omnes, ab Ordinariis propriis praesentatos vel commendatos, nominat Vicarius Castrensis.

Deficiente quacumque de causa Vicario Castrensi, administrationem ad interim Vicariatus assumet cappellanus maior, si constitutus sit, sin autem cappellanus delegatus antiquior, ad normam canonis 106.

Vicario Castrensi competit iurisdictio personalis, tum fori interni tum fori externi.

Unusquisque cappellanus delegatus potestate a Vicario Castrensi delegata fruetur pro copiis terrestribus, maritimis vel aëreis sibi speciatim concreditis.

Cappellanis militum curam animarum Vicarius Castrensis committet.

Vicarii Castrensis iurisdictioni subiiciuntur omnes militum cappellani, universae copiae Canadenses sive terrestres, sive maritimae, sive aëreae actu stipendia merentes, omnes utriusque sexus fideles, sive laici sive alicui Religioni adscripti, quacumque causa copiis stabiliter deservientes, dummodo in stationibus vel locis militibus reservatis habitualiter commorentur.

Cum vero in perampla Canadensi Ditione hic aut illic, praesertim in dissitis locis, militum quaedam stationes ad instar pagorum efformatae sint, ubi domus, quas cum sua quisque familia milites inhabitant, scholae pro ipsorum pueris ac puellis et alia huiusmodi habentur, cumque Ordinarius loci spirituali animarum curae per parochum aut missionarium aut quemlibet alium sacerdotem providere non possit et illuc sine gravi incommodo accedere nequeat, Sanctitas Sua benigne indulgere dignata est ut iurisdictioni personali Vicarii Castrensis omnes et singulis in praedictis pagis commorantes subiiciantur usque dum praedicta rerum adiuncta perseverent, certiore facto loci Ordinario in peculiaribus casibus.

Vicarii Castrensis iurisdictio, cum in territoriis Ordinariis locorum subiectis exerceatur, eorumdem iurisdictioni cumulatur. Pronde cappellani militum, quoad ecclesiasticam disciplinam, potestati quoque subiiciuntur Ordinarii loci in quo versari contingat, cui in casibus urgentioribus et quoties Vicarius Castrensis providere non poterit, fas erit in eos animadvertere etiam canonicis sanctionibus, monito confestim Vicario Castrensi.

In stationibus seu praesidiis vel pagis, quae supra memoravimus, primo et principaliter Vicarius Castrensis iurisdictionem exercet, secundario et quoties Vicarius Castrensis eiusque cappellani absint vel desint, semper autem iure proprio, Ordinarius loci atque parochus, initis opportunis consiliis cum Vicario Castrensi et militum ducibus.

Ad matrimonium quod attinet subditorum quos supra memoravimus, adamussim servetur praescriptum canonis 1097 § 2 C. I. C., iuxta quem « pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset » et accurate omnes expleantur actus qui, ad normam iuris, celebrationem matrimonii praecedere et subsequi debent.

Diligenter conficiantur atque serventur libri baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum.

Super quibus rebus Ssmus Dominus Noster praesens edi iussit

Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 17 Februarii 1951.

+ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. + S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor.*

(*A.A.S.* vol. XLIII, pag. 477-479).

ADNOTATIONES

1. - Uti iam notavimus in commentanda Instructione S. C. Consistorialis *Sollemne semper*, 23 apr. 1951, quam maxime Ecclesiae cordi esse videtur in unum reducere diversas dispositiones quae de cura castrensi per diversos Status vigent. Citata enim Instructio corpus praebet normarum, organicum atque omnium Statuum copiis aptabile, quod curam castrensem ad quemdam sensum unitatis reducit, eam ecclesiastice recte organizando sive quoad personas sive quoad iurisdictionem et res, quodque iure meritoque haberi potest veluti *Codex Curae Castrensis.*

Porro in eadem linea substantialiter manet praesens Decretum *Materna Ecclesiae*, quamvis respectum, ut iustum est, demonstret peculiaribus conditionibus tum copiarum tum ipsius Regionis Canadensis.

2. - Itaque, constituitur prae primis officium Vicariatus Castrensis quasi Ordinariatus seu quasi-dioecesis personalis copiarum personarumque militibus quomodocumque addictarum pro tota ditione Canadensi, cum sede in urbe Octaviensi, quae proinde est veluti civitas episcopalis Vicariatus. Officium ipsum personaliter constat: 1) Vicario Castrensi; 2) tribus Cappellanis delegatis; 3) Cappellanis militum.

Vicarius Castrensis substantialiter describitur ad sensum art. I-IX praelaudatae Instructionis, accidentalibus differentiis ex peculiaribus loci et personarum adiunctis opportune notatis.

Libere proinde nominatur a Romano Pontifice, qui officium Vicariatus Castrensis cum officio alicuius ex Ordinariis locorum Regionis Canadensis opportune cumulat. Evidenter, quatenus Ordinarius loci residet in loco ubi sita eius sedes episcopalis. In Vicariatu

[1] Cfr. S. C. de Prop. Fide, 8 dec. 1919; Pugliese, *De Vicario Delegato in territoriis Missionum* (*Apollinaris*, 1933, pp. 196-217); Sartori *Enchiridion Canonicum*, Romae, 1947, ad can. 309.

autem Castrensi repraesentatur a Cappellano Maiore, ab eodem ad nutum electo, qui, tamquam Vicarius Generalis, Vicariatum in urbe Octaviensi regit, nomine et auctoritate Vicarii Castrensis, potestate scil. ordinaria, sed vicaria. Ad rigorem iuris, Cappellanus Maior similitudinem praesefert cum *Vicariis Delegatis* quasi - dioecesium Missionum [1], cum in eadem iurisdictione Vicarius sit Vicarii. Immo et aliquomodo accedit provicario, qui in territoriis Missionum, deficiente Praelato, totum regimen quasi - dioecesis administrative assumit (can. 309 § 2); ipse enim succedit Vicario Castrensi, quacumque de causa, sive per mortem aut translationem sive per officii impeditionem, deficienti.

Sed Cappellanus Maior ex Decreto non est absolute necessarius - tribuitur enim facultas Vicario Castrensi sibi illum constitutendi - ideoque posset de iure substitui cum alio Delegato, qui, potestate delegata eadem ac ipse faceret in Vicariatu, ex commissione scil. Vicarii Castrensis. Quo in casu, deficienti Vicario Castrensi succederet antiquior Cappellanus delegatus, iuxta ordinem praecedentiae: qui ad gradum potiorem pertinet, qui altiorem ordinem tenet, qui prius est promotus ad gradum senior ordinatione aut denique aetate (can. 106, 3°).

Insuper, Vicarii Castrensis est nominare Cappellanos delegatos et Cappellanos simplices.

Ipse denique retinet in toto Vicariatu potestatem suam ordinariam, fori interni et externi, personalem et vicariam, quam nempe exercet nomine et auctoritate Romani Pontificis, quamque committere potest, ex toto vel ex parte, Cappellanis tum delegatis tum simplicibus.

3. - Tres Cappellani delegati, ad instar Cappellanorum Maiorum, facultates suas delegatas, in sua quisque provincia, exercent. Alii enim concreditur exercitus terrestris, alii maritimus, alii aëreus.

Ipsi Cappellani praesentantur aut commendantur a proprio Ordinario Vicario Castrensi, qui eos nominat ad respectiva officia eisque facultates delegat. Manent ad nutum et habent, saltem habitualiter et salvis restrictionibus, potestatem subdelegandi. Ipsorum proinde sunt potiores partes in cura castrensi exercenda. Et si nullus electus sit Cappellanus Maior, eorum prior sive ex potiore officio seu gradu seu ordine sive ex senioritate promotionis seu nominationis aut aetatis, functiones explet Vicarii Delegati et Vicario castrensi succedit in administratione Vicariatus.

Simplices quoque Cappellani militum praesentantur aut com-

[1] Cfr. S. C. Prop. Fide, 8 dec. 1919; Pugliese, *De Vicario Delegato in territoriis Missionum (Apollinaris,* 1933, pp. 196-217; Sartori, *Enchiridion Canonicum,* Romae, 1947, ad can. 309.

mendantur a propriis Ordinariis Vicario Castrensi, qui eos ad respectiva officia nominat eisque facultates delegat ut curam animarum, intra ambitum sibi adsignatae competentiae, exercere valeant. Non habent igitur iurisdictionem ordinariam paroecialem, sed curam animarum exercent ex commissione Vicarii Castrensis et intra limites huius commissionis. Manent et ipsi ad nutum subiecti quoque respectivo Cappellano delegato. Nihil vetat quominus et religiosi ad munus cappellanorum assumantur, a propriis Superioribus praesentati aut commendati [2].

Nihil dicitur in Decreto de revocatione mandati Cappellanorum; sed, cum omnes sint ad nutum, cumque propriam dioecesim aut Religionem non amittant, omnes Cappellani videntur posse ad proprium Ordinarium eo praemonito remitti, ab eoque, Castrensi Vicario pariter praemonito, revocari.

4. - Ex dictis iam patet iurisdictionem, qua gaudet Vicarius Castrensis eiusque Cappellanus Maior, esse natura ordinariam etsi vicariam et personalem ac cumulativam; Cappellanorum autem sive delegatorum sive simplicium iurisdictionem esse delegatam, et simul personalem et cumulativam. Huius vero iurisdictionis extensio in ipso Decreto peculiariter circumscribitur. Manent igitur sub iurisdictione Vicarii Castrensis eiusque Cappellani Marioris « omnes militum Cappellani, universae copiae Canadenses sive terrestres, sive maritimae, sive aëreae *actu* stipendia merentes, omnes utriusque sexus fideles sive laici sive alicui Religioni adscripti, quacumque causa copiis stabiliter deservientes, dummodo in stationibus vel locis militibus reservatis (ut v. gr. in hospitalibus militaribus) *habitualiter* commorentur ». Unde etiam milites aut civiles temporarie absentes (v. gr. in temporaria permissione) ad curam castrensem pertinent, etsi *actu* extra stationes et loca militaria maneant, dummodo actu adhuc stipendia mereantur nec ab exercitu aut ab eius servitio definitive dimissi sint.

Amplissima huius iurisdictionis extensio ab usibus et consuetudinibus ecclesiasticis hinc inde vigentibus aliena non est [3]. Quod autem est in Decreto peculiare respondet peculiaribus condicionibus geographicis et ethnographicis Regionis Canadensis. Illic enim quandoque stationes militum in dissitis locis ad instar pagorum efformatae sunt, in quibus milites cum propriis familiis, quibus accedere possunt etiam alii civiles, vivunt. Porro in istis pagis, cum difficile sit Ordinariis locorum curae animarum stabiliter consulere, ad tempus indefinitum indultum est, ut iurisdictio personalis Vicarii Ca-

---

[2] *Instructio* cit., art. XIII.

[3] Cfr. Pugliese, *La Cura Castrense*, Torino, 1943, pp. 58, 60, 63, etc.

strensis, et consequenter Cappellani stationis, ad omnes loci habitantes, sive milites cum eorum familiis sive civiles, extendatur, « certiore facto loci Ordinario in peculiaribus casibus ». Quod peculiare omnino est et proprium iurisdictionis Castrensis Canadensis.

5. - Quod in Decreto sequitur, commune est omnibus iurisdictionibus castrensibus et in praecitata Instructione codificatum; videlicet character personalis huiusmodi iurisdictionis et simul eiusdem cumulatio cum territoriali iurisdictione Ordinariorum locorum. Quapropter, quoad disciplinam Cappellani quoque Ordinario loci, in quo actu degunt, subiiciuntur et ab eo, quoties deliquerint, iure substitutivo sed proprio puniri possunt, « monito confestim Vicario Castrensi ». Iurisdictionis cumulationem consequitur eiusdem exercitium a Cappellanis et parochis iure proprio respective sed primario aut secundario habitum, prout nempe fiat in locis aut pagis militaribus, aut non militaribus, iuxta ea quae habentur in Instructione citata (art. II et passim).

Denique, expresse Decretum recognoscit competentiam matrimonialem Cappellanorum militum ad sensum can. 1907; Cappellanis quoque imponitur confectio et custodia librorum paroecialium.

Cetera omnia Curae Castrensis, ut putamus, regenda sunt ad normam praelaudatae Instructionis.

Quoad gradum militarem singulis Cappellanis in copiis Canadensibus competentem, videndae sunt peculiares inter utrasque auctoritates conventiones.

AUGUSTINUS PUGLIESE
a studiis S. C. de Religiosis

II

LITTERAE CIRCULARES AD EXC.MOS AC REV.MOS ITALIAE ORDINARIOS

Roma, 24 ottobre 1951.

Eccellenza Reverendissima,

Facendomi interprete dell'augusta sollecitudine del Santo Padre, mi reco a dovere di richiamare la sua benevola attenzione sul crescente bisogno che hanno molte diocesi, in Italia e più ancora all'estero, di essere aiutate con sacerdoti generosamente offerti da altre.

E' certamente encomiabile lo zelo e l'interessamento di ciascun Ordinario per dotare di clero ben preparato le parrocchie, gli istituti di educazione, le associazioni cattoliche. Ma non si può dimen-

ticare che, mentre esistono diocesi così ben provviste che numerosi sacerdoti si vedono assegnati a compiti d'insegnamento e di organizzazione che potrebbero essere tenuti lodevolmente da buoni laici, altre hanno un clero assolutamente insufficiente.

Nel Suo recentissimo discorso al Congresso mondiale dell'apostolato dei laici, il Santo Padre ha sottolineato come i sacerdoti non siano aumentati in proporzione dei bisogni della Chiesa. « Ora — Egli aggiungeva — il clero ha bisogno di riservarsi prima di tutto per l'esercizio del suo ministero strettamente sacerdotale, ove nessuno lo può supplire ».

In ordine a una migliore distribuzione del clero che sia proporzionata alle necessità delle anime, mi si permetta di far notare che, dato il progresso e lo sviluppo delle comunicazioni stradali e dei mezzi di locomozione, non sembra più necessario che — salvo casi particolari — piccole località di cento o duecento abitanti abbiano un proprio sacerdote, mentre vi sono regioni con un sacerdote ogni ventimila e anche trentamila cattolici, sparsi su un territorio esteso come una diocesi. Vescovi in lacrime vedono vaste zone insidiate dal materialismo, centri popolosi che si perdono nell'indifferenza religiosa, numerosi immigrati esposti ad ogni sorta di pericoli religiosi e morali, senza che sia loro dato di provvedervi, per mancanza di sacerdoti.

I Religiosi danno certamente un valido aiuto: ma non sono sufficienti. Pur facendo ricorso al loro ministero, non è possibile venire incontro a tanti bisogni senza l'aiuto di numerosi sacerdoti del clero secolare.

Meritano perciò ogni appoggio quelle iniziative che stanno sorgendo per preparare seminaristi da inviare, una volta sacerdoti, in altre diocesi d'Italia o all'estero, particolarmente per l'assistenza degli emigranti. Ma non basta. E' necessario che ogni Ecc.mo Ordinario, rendendosi pieno conto del grave problema, metta a disposizione della Santa Sede tutti quei sacerdoti, ben preparati e animati da vero zelo, che non siano del tutto necessari, in diocesi. E' un sacrificio che questa Sacra Congregazione chiede a nome del Santo Padre, il Quale, Pastore di tutta la Chiesa, mentre è confortato dal grande rigoglio spirituale di alcune diocesi, vede con rammarico tante altre languire per mancanza di operai evangelici.

Mentre prego V. E. R. di voler considerare quanto ho sentito il dovere di esporLe e di volermi mettere in grado di rispondere

alle pressanti domande rivolte da tanti Vescovi alla Santa Sede, con sensi di profondo ossequio mi confermo

di Vostra Ecc.za Rev.ma
come fratello
+ Fr. A. G. Piazza, Vescovo di Sabina e Poggio Mirteto, *Segretario*
Giuseppe Ferretto, *Assessore*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 231-232).

ADNOTATIONES

Il documento richiama l'attenzione su di un problema arduo e complesso, che deve essere esaminato nello spirito di quell'universalità, che è una delle note distintive della Santa Chiesa. E' doveroso premettere che una penuria di clero al confronto di età passate si avverte anche in Italia. Nel 1871 con una popolazione di 26.801.154 abitanti si avevano 152.000 Sacerdoti; nel 1936, accresciuta la popolazione a 42.444.588 unità i Sacerdoti si erano ridotti a 52.000, con una diminuzione del 20% per l'Italia settentrionale, 25% per l'Italia centrale, 55% per l'Italia meridionale. Oggi per una popolazione superiore ai 47 milioni di abitanti abbiamo 58.000 sacerdoti. Anche l'ultima guerra ha portato, come era da prevedere, una diminuzione di vocazioni; pare tuttavia che il fenomeno nella maggior parte delle diocesi sia di natura transitoria: quasi ovunque infatti c'è una consolante e promettente ripresa. Purtroppo ad impedire il fiorire di buone vocazioni stanno la propaganda comunista, il diffuso senso edonistico della vita, l'insensibilità di molti genitori e a volte il loro ostruzionismo aperto o indiretto. Malgrado ciò una intelligente e premurosa azione del Sacerdote nella cura del Piccolo Clero e nella formazione dei Fanciulli Cattolici e degli Aspiranti di A. C.; un'azione ordinata e fervorosa nelle famiglie, nelle parrocchie, negli istituti, nell'A. C. può dare e di fatto dà molte vocazioni. Il problema piuttosto consiste nell'adeguato impiego di questi Sacerdoti. Il Documento segnala due fatti, che meritano riflessione: « *impiego di Sacerdoti a compiti di insegnamento e di organizzazione che potrebbero essere tenuti lodevolmente da buoni laici e la permanenza di un proprio Sacerdote in piccole località di 100 o 200 abitanti* ». Senza dubbio vi sono degli insegnamenti che devono essere riservati al Sacerdote come quelli propri del Seminario, degli Istituti Religiosi e della Religione nelle scuole; ma non si comprende come in tanta penuria di clero ci possano essere Sacerdoti che consumano molto del loro tempo nell'insegnare

materie letterarie o scienze naturali nelle scuole dello stato o anche privatamente, sottraendosi così all'esercizio del ministero. Si dica lo stesso per tutto ciò che riguarda l'organizzazione dei campi sportivi, delle sale cinematografiche, delle biblioteche circolanti, delle colonie alpine o marine, oppure la responsabilità amministrativa di cooperative, di casa-pensione, ecc.

Come suona ammonitrice la parola del Papa: « *il Clero ha bisogno di riservarsi prima di tutto per l'esercizio del suo ministero strettamente sacerdotale, ove nessuno lo può supplire* ». Non è raro il lamento di fedeli, che non trovano quasi mai il Sacerdote disposto a ricevere la S. Confessione o presente a decorose funzioni liturgiche o ben preparato nella sacra predicazione. Distratto da mille incombenze materiali come può il Sacerdote aver tempo ed animo per attendere alle anime? Non solo una maggiore disciplina di orari ed una maggiore fedeltà agli impegni, ma soprattutto una maggiore preferenza ai doveri direttamente apostolici potrebbero ovviare a non pochi inconvenienti: « *nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus* » (Act. VI. 4.).

* * *

In questo ultimo tempo si è accresciuto un movimento di popolazione dalla montagna alla pianura, dalla fattoria isolata dei campi all'aglomerato cittadino. La gente emigra verso la piana o verso la città. Di conseguenza i paesi di montagna e di collina vedono ridursi il numero dei propri abitanti, mentre, soprattutto nelle città o cittadine a carattere industriale, la popolazione aumenta in progressione sbalorditiva. Certamente non si possono nè si devono abbandonare a se stessi i piccoli nuclei di fedeli nella montagna o nella campagna. Privi di assistenza religiosa questi poveretti facilmente si ridurrebbero in condizioni spirituali pietose e diverrebbero facile preda alla propaganda dell'eresia o del sovversivismo. Ma d'altra parte non si può lasciare presso di loro in una forzata inerzia un Sacerdote specialmente giovane, quando nelle città, negli stabilimenti, nei sobborghi decine di migliaia di battezzati sono privi quasi del tutto di assistenza religiosa. A titolo di esempio piace ricordare quanto si attua in qualche diocesi ove i Sacerdoti in cura di anime in minuscole parrocchie vengono impiegati durante la settimana nell'assistenza religiosa e morale a speciali categorie di persone. Bisogna certo provvedere per i casi straordinari (un malato grave, una disgrazia ecc.) di assistenza religiosa nel territorio mediante il cappellano di turno il quale usando un mezzo rapido di locomozione possa portare il richiesto soccorso.

Non è possibile in materia tanto varia, soprattutto in rapporto

alla configurazione geografica delle diocesi nostre dall'Alpi alla Sicilia, usare ovunque lo stesso sistema. Ritengo tuttavia che dovunque si possono iniziare esperienze, che opportunamente vagliate, serviranno per una più equa distribuzione del personale disponibile nell'ambito della diocesi.

* * *

E oltre diocesi? Il problema si fa più complesso e più delicato. Per l'*incardinazione* il chierico rimane legato alla sua diocesi e per la promessa dell'Ordinazione Sacra al suo Vescovo. Quanto sapiente sia questa disposizione canonica è ormai dimostrato da secoli di esperienza. Il Sacerdote, scelto di mezzo al suo popolo, meglio lo conosce, lo comprende, lo ama. Vi sono mille rapporti di usi, costumi, tradizioni, che elevati dalla Grazia, facilitano il ministero pastorale. Se in non poche diocesi la vita cristiana è in onore, se le associazioni e le istituzioni fioriscono, se l'irruente assalto delle forze del male è validamente contenuto, lo si deve in molta parte alla presenza attiva di un clero bene formato, ma anche *numeroso*. E' spiegabile quindi la preoccupazione dei Pastori di conservare in Diocesi tutti i propri Sacerdoti, specialmente i migliori per pietà e per zelo, come la riluttanza a non accogliere Sacerdoti che emigrano da altre diocesi o da altri istituti religiosi. Bisogna tuttavia convenire che il sovrano principio « *salus animarum suprema lex* » esige dei sacrifici da quelle diocesi che sono meglio provviste di clero. Altrimenti come si potrà ottenere che nelle diocesi ove il Clero è scarso di numero ed oberato di mille ministeri abbiano a crescere e moltiplicarsi le giovanissime reclute? Soltanto una immissione di forze nuove, oltre a provvedere agli urgenti bisogni attuali, sarà la più sicura premessa per lo sviluppo di vocazioni future. L'ideale sarebbe che fossero più d'uno i Seminari per missionari nazionali, sull'esempio di quelli aperti sia in Italia che in Francia.

In questi Seminari i giovani seminaristi vengono formati al Sacerdozio, con l'intesa che essi sono disposti a recarsi in quella qualunque diocesi d'Italia, ove saranno richiesti dagli Ecc.mi Vescovi. Dopo un tirocinio di alcuni anni, i Missionari verranno incardinati nella diocesi che li ha richiesti, entrando così a far parte anche di *diritto* del clero locale. Come è facile capire le richieste nel Seminario di Bergamo sono molte e gli operai a disposizione, almeno per ora, sono pochi. Occorre quindi nell'attesa di tempi migliori che si provveda con accordi diretti fra Vescovo e Vescovo, in uno spirito di una mutua e generosa collaborazione, che potrebbe limitarsi dapprima nell'ambito della stessa Regione Conciliare, poi allargarsi in raggio anche più largo, con successivi tempi di espe-

9. Verum « praeter casum de quo in can. 1469, § 3, ius patronatus exstinguitur... 2° Si Sancta Sedes ius patronatus revocaverit ». Explicite igitur declaratur (id quod ceterum per se patet) S. Sedem semper ius habere exstinguendi aliquod ius patronatus, quin eadem S. Sedes certis legibus aut restrictionibus ligetur. Nihilominus supponi debet S. Sedem nunquam sine iusta causa procedere ad exstinguendum ius patronatus seu ab abolendum ius acquisitum. S. Sedes autem, si casus ferat, in hoc casu agit ope competentis S. Congregationis Romanae. « Quaestio semel instituta - statuit *Ordo servandus in S. Congregationibus, Tribunalibus, Officiis Romanae Curiae*, pars altera, cap. III, art. II, n. 10° - penes Congregationem aliquam administrationis ac disciplinae tramite, et a partibus admisso aut saltem non recusato hoc agendi modo; his iam non licet eadem de causa actionem stricte iudicialem instituere. Eoque minus, deliberata re atque ad sententiam deducta, fas erit hoc agere ». Hoc principium ante promulgationem Codicis Iuris Canonici statutum valet adhuc hodie (cfr. can. 243, § 1), et respicit non solum sententias sed quamcumque decisionem a Sacris Romanis Congregationibus latam. Etenim S. Congregationes in genere suo sunt auctoritates supremae et vocantur « Vicariae Papae ». Ideo absque speciali Commissione Pontificia omnia Tribunalia, etiam ordinaria S. Sedis, carent competentia iterum tractandi et definiendi quaestiones ab aliqua S. Congregatione iam decisa, quoniam non sunt superiora S. Congregationibus (cfr. unam Romanam, *Iurium et damnorum*, diei 5 ianuarii 1942, coram Wynen, n. 3).

10. In facto. - Patronus actorum fuse exposuit, et publicis documentis exhibitis probavit, Protonotarium Apostolicum Philippum

Borgia, parochum, reaedificasse ecclesiam S. Helenae loci Birchircara et fundationem pro dotandis canonicis fecisse, atque Urbanum VIII Litteris Apostolicis *Apostolatus ministerio* diei 9 decembris 1630, praevia suppressione ecclesiae paroecialis, novam ecclesiam erexisse in ecclesiam collegiatam, et ius patronatus activum largitum esse Capitulo, ius vero patronatus passivum consanguineis fundatoris, eisque non exsistentibus, aliis ex eadem Terra, vel denique nativis in dioecesi Melevitana; deinde patronus exposuit Petrum Borgia anno 1771 novam fundationem ad augendum numerum canonicorum fecisse. Sed haec omnia sunt pacifica, a nemine in dubium vocata. Neque intelligitur, curnam patrorus mentionem fecerit canonum 4 et 5 Codicis; nam nemo unquam contendit iura acquisita vel consuetudines usque ad promulgationem Codicis vigentes quapiam dispositione generali Codicis abolita esse.

11. Actorum patronus audacter asserit Exc.mum D.num Maurum Caruana, quondam Ordinarium Melevitanum, illegitime et contra iura acquisita actorum, ius patronatus abolevisse. Sed ex can. 1469, § 3, supra n. 8 citato, evidenter sequitur, quod ille Ordinarius nonnisi ad normam iuris egisset, si sua sponte et sub poena cessationis iuris patronatus statuisset reditus beneficiorum Collegiatae intra annum augendos esse. De facto tamen Ordinarius in casu processit ex potestate sibi a S. Congregatione Concilii tributa.

Etenim Ordinarius Melevitanus, qui die 8 octobris 1919 de mandato S. Sedis publicaverat decretum quo reditus beneficiorum (exceptis canonicatibus) sub poena amissionis iuris patronatus augendos esse praescripserat (cfr. supra n. 1), anno 1935 una cum Ordinario Gaudisien. a S. Congregatione Consistoriali petiit ut etiam quoad canonicatus ecclesiarum Collegiatarum similis provisio fieret. Quae instantia, ob rationes competentiae, remissa fuit ad S. Congregationem Concilii. Ad hanc autem idem Ordinarius Melevitanus die 14 martii 1935 misit litteras, in quibus inter alia animadvertit: « La ragione per cui nella nostra lettera collettiva abbiamo chiesto che la rendita allo scopo indicato fosse elevata a lire sterline trentacinque (Ls. 35), è che noi desideriamo colpire la maggior parte delle prebende di giuspatronato esistenti nelle Collegiate di Malta, siccome in uno dei Capitoli molte prebende superano le Ls. 30 ».

Ad quam epistulam S. Congregatio Concilii die 10 aprilis 1935 respondit haec: « Atteso quanto l'E. V. Rev.ma espone nella sua del 14 scorso mese in merito al decreto della S. Congregazione Concistoriale del 20 dicembre 1919, questa S. Congregazione concede tanto all'E. V. Rev.ma che a Mons. Vescovo di Gozo la chiesta autorizzazione di estendere il detto decreto a tutte le prebende canonicali di giuspatronato, sia ecclesiastico che laicale, esistenti nelle Colle-

giate di Malta e di Gozo nel senso che, per le future provviste, le dignità ed i canonicati di dette Collegiate diventino di libera collazione se i rispettivi patroni, entro il termine di un anno da stabilirsi dai rispettivi Ordinari, non eleveranno il reddito del beneficio a Ls. 35 nette. Attese però le diverse condizioni economiche esistenti nelle due diocesi dell'isola, è data facoltà a Mons. Vescovo di Gozo di poter diminuire il reddito sopra stabilito nella misura che egli riterrà più conveniente ».

12. Die autem 25 septembris 1935 Ordinarius Melevitanus edidit sequens decretum seu edictum: « Dopo matura riflessione, considerando specialmente le condizioni proprie locali e lo spirito della legge ecclesiastica riguardo i giuspatronati, espresso chiaramente nei can. 1450, 1451 e 1469 del Codice di Diritto Canonico, la Santa Sede Ci ha autorizzato ad estendere anche ai benefici canonicali il Decreto della Sacra Congregazione Concistoriale dato per queste Isole e pubblicato il dì 8 ottobre 1919 (hoc decretum tamen non Sacra Congregatio publicavit, sed ipse Ordinarius « de Sanctae Sedis mandato »; demum die 20 decembris 1919 S. Congregatio illud decretum in periodico officiali S. Sedis A. A. S. publicari iussit). In forza quindi di tale autorità, Noi estendiamo con ogni sua clausola il detto Decreto a tutte le prebende canonicali di giurispatronato, sia ecclesiastico sia laico, sia attivo sia passivo, esistenti nelle Chiese Collegiate di questa diocesi, nel senso che, per le future provviste, le dignità e i canonicati di dette Collegiate diventino di libera collazione, se i rispettivi Patroni, anche condizionatamente indicati, entro il termine di un anno dalla data del presente Editto, non eleveranno il reddito netto del beneficio a lire sterline trentacinque (Ls. 35) all'anno ». In elencho beneficiorum Collegiatarum, ad quae hoc decretum directum fuit, primum locum obtinet: « Collegiata di Birchircara. Le Prebende della Fondazione di D. Filippo Borg (undici). Le Prebende della Fondazione di Pierino Borg (quattro) ».

13. Per decem menses Capitulum ecclesiae Collegiatae loci Birchircarae, cui impendebat amissio iuris patronatus activum si reditus beneficiorum non augerentur, nihil fecit ad oboediendum edicto Ordinarii, saltem in tabulis processualibus deest quodpiam vestigium talis operationis; neque consanguinei e familia Borgia aut ceteri incolae loci, quibus imminebat amissio iuris patronatus passivi, quidquam fecerunt. Demum die 22 iulii 1936 Capitulum ab Ordinario petiit « una proroga del tempo indicato nella Circolare pubblicata il dì 25 settembre 1935, perchè il suddetto Capitolo Rev.mo possa prendere i provvedimenti opportuni intorno all'aumento delle sue Prebende Canonicali, dando in enfiteusi tutte o parte delle clausure

libere che appartengono alle due Mense Capitolari, previo il Beneplacito Apostolico ».

Ad quam instantiam Secretarius Episcopi de mandato eiusdem Episcopi respondit « che tale concessione (prorogationis termini) non è di sua competenza, che d'altronde Egli non crede che vi siano ragioni sufficienti per poter adire la Santa Sede sul riguardo ». Ordinarius igitur se incompetentem declaravit ad concedendam prorogationem termini, quippe qui ab ipsa S. Congregatio Concilii statutus fuerat, neque Capitulum ipsum adiit S. Sedem ut imploratam prorogationem obtineret. Ita factum est ut totum ius patronatus de quo agitur, tam activum quam passivum, penitus exstinctum sit, quoniam reditus illorum beneficiorum aucti non fuerunt.

14. Sicuti supra iam dictum, Ordinarius Melevitanus sua sponte et propria auctoritate canone 1469, § 3, sibi concessa amplificationem redituum beneficiorum sub poena cessationis iuris patronatus imponere potuisset, quoniam palam erat illos reditus decursu saeculorum factos esse omnino insufficientes. Cum tamen in decreto anni 1919, a Summo Pontifice explicite approbato, canonicatus ecclesiarum Collegiatarum a praecepto augendi reditus explicite exclusi fuerint, Ordinarius, qui primum suum decretum uti delegatus S. Sedis publicaverat, opportunum vel necessarium esse censuit adire S. Sedem ad obtinendum Beneplacitum Apostolicum pro extensione illius primi decreti (mutatis mutandis) ad beneficia ecclesiarum Collegiatarum; id quod etiam obtinuit. Agitur proinde de re inter S. Congregationem et Ordinarium acta, atque Ordinarius non erat nisi exsecutor voluntatis eiusdem S. Congregationis. Sacrae autem Romanae Congregationes sunt in genere suo suprema auctoritas et vocantur « Vicariae Papae », quarum decisiones a nullo Tribunali abrogari aut derogari possunt. Quamobrem N. S. Auditorium est absolute incompetens ad interloquendum.

15. Legimus quidem in supplici libello, Signaturae Apostolicae porrecto: « Giova notare che nel prendere tali disposizioni non si è considerato un pericolo gravissimo per la proprietà ecclesiastica; appena un trentennio addietro i beni ecclesiastici furono salvati dal tentato incameramento appunto per il diritto dei patroni a rivendicare nella maggior parte dei casi la proprietà dei beni concessi in dotazione del beneficio. Tolto tale diritto, cesserebbe ogni ostacolo al pieno incameramento della proprietà ecclesiastica ». Sed etiamsi tale periculum adhuc hodie exsistat, S. Rota non est competens dicasterium quod restitutionem in integrum concedere posset. Neque Nostrum est, declararunt Patres de turno, dare actoribus consilium, quomodo illud periculum, si quod reapse exsistat, evitandum sit.

16. Quod denique privilegia liturgica spectat, seu in specie prohibitum usum cappae magnae et sedis cameralis, evidens est decreta S. Congregationis Rituum, ad normam generalium legum liturgicarum edita, nullo modo subiici posse decisioni N. S. Tribunalis. Immo sat mirum est patronum actorum vel tale quid patrocinatum esse.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus et definitive sententiamus sic ad dubia proposita respondendo:

Ad I. « Fundationes a canonicis Borgia institutas sustinendas esse, exceptis excipiendis iuxta decreta a SS. Congregationibus Romanis edita ».

Ad II. « Iura et privilegia eisdem fundationibus adnexa sustineri, iuxta tamen decreta SS. Congregationum Romanarum in casu data ».

Actores insuper condemnamus ad solvendas expensas iudiciales.

Mandamus igitur Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram sententiam definitivam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum.

Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 4 decembris 1948.

ARCTURUS WYNEN, *Ponens*.
GUILLELMUS HEARD.
ALBERTUS CANESTRI.

Sententia transiit in rem iudicatam.

Coram R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente

Nullitatis Matrimonii et Dispensationis
super rato
Die 1 februarii 1952

IN JURE

2. - Triplici ex capite Vinculi Defensor appellatam impugnat sententiam. *Primum* ex eo quod appellata sententia, contra mentem decreti Supr. S. Congr. S. Officii d. 12 febr. 1941 « novum elementum addit, ut copula carnalis habeatur, nempe confricationem per conveniens temporis spatium »: *secundum* ex eo quod eadem sententia « non videtur refellere assertum peritioris, ad matrimonium consummandum requiri introductionem partis *notabilis* glandis », dum citatum decretum S. Officii satis habet ut membrum aliquo sal-

tem modo, etsi imperfecte, vaginam penetret ibique semen effundat: *tertium* ex eo quod appellata sententia « applicationem citati decreti S. Officii limitare videtur, distinctione admissa facta a peritiore inter virgines et defloratas: addens praeterea partialem penetrationem, in decreto descriptam, fieri non posse, citra gravem laesionem hymenis, praeter quam in virginibus, nisi in casu vel abnormis elasticitatis hymenis vel abnormis parvitatis membri virilis ».

3. - Jam igitur dixerunt appellati Patres: « Constat ex tractatibus physiologiae quod, recepto membro a vagina, eiaculatio sequi non potest prius quam, per convenientem utriusque organi confricationem, certi determinentur reflexus expulsionem seminis provocantes. Ut hoc eveniat, non satis est quod vas muliebre virile copulationis organum simpliciter recipiat, sed ut receptum convenienter toleret oportet, et quidem per tantum temporis, quantum ut descripta phoenomena accidant requiritur (cfr. Figerstedt, Fisiologia dell'Uomo, vol. III, pag. 575) ». Atque in facto repetunt: « ex tractatibus novimus quod eiaculatio non sequitur, nisi per convenientem confricationem reflexus excitentur qui glandis erectionem augeant: quod quidem, generatim loquendi, in mulieribus virginitate pollentibus, non contingit, quin vestigia notabilia in hymene relinquantur ».

Porro verba huiusmodi si ita intelligantur ut dicatur eiaculatio multis in casibus, quin etiam plerumque, non succedere, nisi praecesserit congrua confricatio penis in vagina: accipi aeque possunt, utpote quae facti respiciant quaestionem: at si sumantur prouti sonare videntur, utque ea interpretatus est Vinculi Defensor, quasi nempe inde deducendum sit confricationem membri in vagina per congruum temporis spatium necessariam prorsus esse, ita ut sine confricatione illa, neque eiaculatio, neque per consequens matrimonii consummatio haberi possit: hoc, inquimus, sensu sumpta, quem alienum fuisse a mente appellatorum Patrum firmiter credimus, citata verba neque adhaerent decreto Supr. S. Congr. S. Officii d. 12 febr. 1941, neque probari possunt a rerum sexualium peritis. (*Omissis*).

Quae cum ita sint, cumque, ut diximus, erectio et consequens eiaculatio multis causis cieatur, non solum igitur tactu et confricacatione glandis (cfr. Antonelli, *Medicina pastoralis* II, Romae 1932, 297; Dalla Volta, *Trattato di medicina legale*, Milano 1933, II, 431 sq.; Palmieri, *Medicina legale canonistica*, Città di Castello, 1946, 167: inter decisiones N. S. T. cfr. praesertim *Null. matr.*, d. 28 febr. 1942, c. *Canestri; Taurinen.* Null. matr. et disp., d. 30 iulii 1949 et *Medellen.* Null. matr. et disp., d. 27 iunii 1951 c. me Po-

nente), affirmari nequit sine confricatione eiaculationem et matrimonii consummationem succedere non posse; imo, secus ac appellata sententia asserere videtur, haud rarum est quod eiaculatio - peculiaribus psychologicis urgentibus adiunctis - sequatur statim ac membrum in vaginam fuerit introductum: neque talis celeris eiaculatio retineri potest sexualis debilitatis vel impotentiae signum, tunc praesertim cum apta psychologica praeparatio copulam antecessit. Amplioribus igitur non exquisitis condicionibus, sustineatur, cum decreto citato S. Officii, ad consummationem matrimonii requiri et sufficere « ut vir, aliquo saltem modo, etsi imperfecte, vaginam penetret atque immediate in ea seminationem saltem partialem peragat ».

4. - Quae imperfecta penetratio quanta esse debeat in litem adducitur dum egregius Vinculi Defensor conqueritur quod appellata sententia « non videatur refellere assertum peritioris, ad matrimonium consummandum requiri introductionem partis *notabilis* glandis ».

Fatendum quidem est non idem audire applicationem membri ad ostium vaginae et ingressum, licet partialem et imperfectum, eiusdem membri in vaginam: qui enim ad ostium domus vel cubiculi pervenit ibique sistit, etsi ad aperiendum ostium in vanum violentiam adhibeat, haud merito diceretur domum vel cubiculum ingredi. In casu autem, veretro ad ostium vaginae applicato et ingressum tentante, si quae eiaculatio sequitur, non in vagina ea contingere dici potest, sed potius ante portas, in praevia regione vestibulari. Quodsi postea gutta seminis per motus spontaneos in vaginam ingreditur, ovulum femineum fecundatura, non licet idcirco matrimonii consummationem concludere: nam, ut late appellati Patres ex iurisprudentia quoque Rotali demonstrarunt, inconsumtum dicendum est matrimonium in quo, absque ulla membri penetratione in vaginam, virile semen, effusum extra moenia virginitatis, sponte absortum fuerit (cfr. etiam recentem *Perusinam*, Null. matr. et disp., d. 11 jan. 1952 c. *Filipiak*). Attamen non est admittenda sententia peritioris requirentis ad consummationem introductionem *notabilis* partis glandis, nisi pro *notabili* (*ragguardevole*) penetratione intelligenda sit (valor adiectivorum fluctuat quandoque et varius est, iuxta mentem scribentis) illa partialis et imperfecta penetratio, quam decretum S. Officii exigit satisque esse affirmat, utpote quae ad effundendum semen in vagina sufficiat. Sed in hoc quoque casu expressionem illam haud accipiendam esse censuerunt Patres, utpote confusionis conciliatricem.

Id pluribus sane respondet Rotalibus decisionibus, inter quas citasse iuvat illam d. 25 febr. 1930 c. *Quattrocolo:* « Tenet ad per-

fectam copulam habendam requiri dumtaxat ut membrum in vaginam ita introducatur ut ingressum cunni, basi hymenis adumbratum, tantum progrediatur, quantum oportet ut excitata corona glandis, eiaculatio succedat » (S. R. Rotae Dec. XXII, pag. 108, n. 8; cfr. aliam, item c. *Quattrocolo*, a. 1929, Dec. XXI, pag. 488). Item ab una c. *Mannucci*, d. 16 jun. 1930 (XXII, pag. 340) requiritur ut membrum erectum ingrediatur vaginam « saltem ultra ostium ».

5. - Quae praeterea appellati Patres affirmant, eiaculationem nempe in mulieribus virginitate pollentibus, generatim loquendo, non contingere, quin vestigia notabilia in hymene relinquantur; non ita oportet interpretari quasi penetratio illa, per decretum S. Officii descripta, contingere potuerit in muliere deflorata, non vero in muliere quae post assertos coitus vel copulae conatus suam adhuc exhibeat physicam virginitatem: sed potius, ut ceterum ex ipsis sententiae verbis conicere est, in hanc utique partem ut facilior sit huiusmodi penetratio in defloratis quam in virginibus: atque nuptiarum inconsummatio demonstretur facilius, ubi hymen integer reperiatur. Si ita non esset, in cassum ab ipsis appellatis Patribus citaretur decisio d. 21 febr. 1951 coram eodem Ponente Turni appellati, ubi legitur: « argumentum physicum... immerito a nonnullis ultra debitum extollitur, sive ad inconsummationem probandam, cum favorabile videtur, sive ad negandam, cum ex toto deficit aut sat firmum non est: etenim « natum est complere probationem per partium confessionem et per testes septimae manus, aliosque testes exhibitam » (Reg. serv. in proc. s. rato, art. 65).

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE MOTU PROPRIO « POSTQUAM APOSTOLICIS »

D. 9 FEBR. 1952 AD ECCLESIAS ORIENTALES DATO

Monachismus inter maxima est dona quae Ecclesia Occidentalis ab Ecclesia Orientali accepit. In deserto Aegypti S. Antonius, vitam asceticam priorum saeculorum mundi fuga solitudinisque studio perficiens, prima huius instituti fundamenta iecit. S. Pachomius ibidem vitam coenobiticam condidit. Quorum exemplo vita monastica mox in Palaestinam et Syriam, in Mesopotamiam et Cappadociam, in Europam denique translata, ubique magno cum fervore recepta est.

Neque Ecclesia Latina se clausit novis his formis vitae perfectionis. Ambrosius Mediolani, Hieronymus Romae eius laudatores et promotores exstiterunt; in Italia et in Gallia, in Africa et in Hibernia coloniae monachorum surrexerunt qui arctam Christi sequelam suae vitae finem praestituerunt.

Sed in Occidente excelsa S. Benedicti figura mox reliquos vitae monachalis doctores eliminavit fere. Regula S. Benedicti in plerisque regionibus recepta est et in Occidente vitae monasticae forma universalis fere evasit. Decursu temporum variae quidem « Congregationes » monachorum S. Benedicti ortae sunt, inter quas Cluniacenses, Vallis Umbrosae, Camaldulenses, Montis Oliveti, Silvestrini et praesertim Cistercienses qui, praelucente S. Bernardo, vitam monasticam reformaverunt. Silentio quoque praetereundi non sunt Ordines « canonicorum regularium », in primis Praemonstratensium. Verum mutationem multo maioris momenti introduxerunt in vitam religiosam saeculo XIII « mendicantes » qui non vitae in loco stabili et contemplativae, sed praedicationi Evangelii et apostolatui maximam operam dederunt; satis est hic nominare filios S. Francisci et S. Dominici. Ne hic quidem evolutio vitae religiosae constitit, sed generavit novam speciem « clericorum regularium » qui vel magis a vita monachorum recesserunt, ut necessitatibus animarum efficaciore modo providerent. Hae novae religiones omnes saec. XVI, ultima priore parte saeculi XVII conditae et approbatae sunt. Ex medio saeculo XVIII novi Ordines non iam nati sunt, sed post non parvas difficultates et multas vicissitudines agnitae sunt Congregationes primo virorum, dein etiam mulierum, in quibus non emittuntur vota sollemnia, sed simplicia, et in quibus non viget clausura papalis. A saeculo XIX ingens numerus harum Congregationum surrexit.

Si tali ratione in Ecclesia Latina decursu temporum maxima varietas religionum diversarum effloruit, in Oriente contra, vita religiosa antiquitatis vestigia fideliter premere perrexit. Apud Orientales dissidentes hodie quoque unica forma vitae religiosae est vita monachalis. Apud catholicos praesertim a saeculo elapso, recentiores quoque formae vitae religiosae apparuerunt. Interdum ipsi monachi influxum Ordinum latinorum subierunt. Praesertim vero Congregationes recenter ortae sequuntur in ordinatione vitae principia et regulas quae experimento Congregationum latinarum comprobatae sunt.

Normae generales vero, quibus vita religiosa in Oriente ordinaretur, ante Motu proprio nunc promulgatum vix habebantur. Hinc factum est ut non solum multa dubia de disciplina orirentur, sed etiam quae tradita erant, facilius mutarentur, et quae mutanda erant, non raro nimis tenaciter conservarentur. Nunc vero Motu Proprio « *Postquam Apostolicis litteris* » d. d. 9 Febr. 1952 lex communis Orientalibus praestituta est, qua leges certae et orientali traditioni consonae et nostrorum temporum necessitatibus adaptatae proponuntur. Nova haec lex quae die 21 Novembris huius anni, in festo Praesentationis B. V. Mariae exsecutionem suscipere incipiet, praeter ius religiosorum alia quaedam capita disciplinae ecclesiasticae respicit, ita ut tres partes comprehendat: in parte I^{a} agitur de « *Monachis ceterisque religiosis* », in parte II^{a} « *de bonis Ecclesiae temporalibus* », in parte III^{a} « de verborum significatione ».

Nos in his paginis praecipuas normas, quae novae disciplinae orientali peculiares sunt, indicare et explicare intendimus.

Pars I. *De monachis ceterisque religiosis.*

Observationes nostras tribus paragraphis comprehendimus: 1° de legibus peculiaribus vitae monachalis; 2° de religionum divisione in religiones iuris eparchialis, patriarchalis, pontificii; 3° de reliquis canonibus in quibus vel ius orientale a iure latino diversum proponitur, vel nova lex, propter opportunas rationes, pro Oriente a praescriptis Codicis Iuris canonici recessit.

1) *De legibus peculiaribus vitae monachalis.*

Qui novam legem comparat cum textu Codicis iuris canonici, statim animadvertit maiores partes in ea tributas esse monachis. In lege latina de monachis ceterisque religiosis uno eodem contextu agitur; in Motu proprio non solum titulus, sed multi canones separatim de monachis et de ceteris religiosis tractant. Ex illis quae supra diximus de evolutione diversa, quam vita religiosa in Occidente et in Oriente habuit, huius diversitatis rationes statim intel-

liguntur. Legislator in Motu proprio in primis antiquam et genuinam traditionem Orientis, quae quam maxime facit vitam monasticam super alias species vitae religiosae, servare intendit. Non excludun-tur sane recentiores vitae religiosae formae, Ordines et Congrega-tiones, quarum utilitatem nemo negare potest. Sed iure praedilectio quaedam monstratur in Motu Proprio vitae monachali, quae glo-riosas Orientis traditiones retinet.

Qua ratione autem distinguuntur monachi et Ordinum sodales? In Motu proprio distinctio fit non ex ratione iuridica positiva, sed ex ratione historica: monachus et monialis dicuntur religiosus vel religiosa « qui vel quae per professionem Religioni adscribitur in qua vita religiosa peragitur secundum antiquas Orientis traditio-nes », can. 313 § 3. Tales traditiones continentur in antiquis re-gulis, v. g. S. Basilii vel in regula S. Antonio adscripta. Sed etiam Mechitaristae armeni, quibus tempore fundationis impositum est ut sequerentur regulam S. Benedicti, sine dubio se veros monachos orientales ducunt, cum regula Benedictina, etiamsi non est regula orientalis, non longe distet ab antiquis Orientis traditionibus et Mechitaristae in genere proprii ritus traditiones antiquas servent. Etsi autem in Motu proprio ratio qua distinguuntur monachi et so-dales Ordinum, immediate historica indicetur, ut diximus, tamen mediate etiam iuridica innuitur, cum regulae antiquae a statutis recentiorum Ordinum duplici capite differre videantur. Unum est quod illae ut finem monachis vitam contemplativam et liturgicam praestituunt, recentiorum vero Ordinum statuta ministeria sacerdo-talia vel opera misericordiae maxime efferunt. Alterum vero quod monachi in monasteriis sui iuris vivere solent, seu in monasteriis « cuius Superiori iura et obligationes Superioris maioris, ad nor-mam canonum et statutorum, competunt », can. 313 § 2, 2, b). Ut bene dicit P. Vidal: « Verus conceptus monasterii seu domus sui iuris is videtur esse quod communitas religiosa, quod ad universam religiosam disciplinam attinet, seipsam regat per Praelatum religio-sum non a Superiore altiore deputatum sed a se electum, praeter quem in interno regimine alium non habeat ordinarium Superio-rem », [1]. In Ordinibus vero recentioribus habetur Moderator su-premus qui iurisdictionem habet in totum Ordinem et cui reliqui Superiores omnes subiiciuntur.

His de distinctione monachorum et Ordinum sodalium praemis-sis, iam videamus ipsos canones, quatenus disciplinam antiquam orientalem conservare studeant. Et primo quidem in ipso conceptu « Status religiosi « differentia habetur inter Codicem I. C. et Motu proprio. Omittuntur enim verba « in communi vivendi », quae le-

[1] *Ius canonicum*. Tom. III: *De Religiosis*, Romae 1933, p. 46.

guntur initio can. 487 Codicis I. C., et adduntur « in aliqua societate ab Ecclesia approbata » et postea « sub legitimo Superiore »; porro explicite dicitur requiri « publica » vota, quod in Codice I. C. implicite continetur. Ratio autem harum mutationum, praeter studium maioris claritatis, in hoc posita est quod in iure orientali etiam « eremitae » vere ad statum perfectionis pertinent, secundum gloriosas traditiones Orientis, dummodo subiecti sint Superioribus [2]. Eremita qui nulli Superiori subiectus est, ideoque votum publicum oboedientiae non emisit, vitam perfectam ducere potest, sed non ad *statum* religiosum pertinet. His positis in Motu proprio statuitur ut « canones de religiosis etiam eremitas obligent, nisi contrarium constet ex natura rei vel ex approbatis uniuscuiusque Religionis statutis », can. 4.

Supra vidimus proprium esse monachorum quod adscripti sunt monasteriis *sui iuris*. Non omnia monasteria autem sui iuris sunt, sed in Motu proprio *triplex species monasteriorum* distinguitur. Praeter monasteria sui iuris, cuius definitionem iam dedimus, habentur monasteria dependentia, nempe a monasteriis sui iuris, « quorum quaedam sunt *filialia*, quae tendunt ad condicionem monasterii sui iuris, alia *subsidiaria* », can. 313 § 2,2, b). Monasteria filialia nondum numerum sufficientem monachorum habent vel non introitus necessarios ut sibi sufficere valeant, sed praevidetur fore ut eo perveniant. Monasteria subsidiaria tempore byzantino et recentiore frequentissima erant et sunt. Dicuntur saepe « metochia » et constituuntur in locis in quibus agri sunt excolendi, bona administranda, negotia tractanda, sicut sunt « procurae » in civitatibus [3]. Fundatio monasterii sui iuris de se ad Hierarcham loci spectat, audito, in patriarchatibus, Patriarcha, et consulta, extra patriarchatus, Sede Apostolica, can. 8 § 1,1. Ad erigendum monasterium dependens sufficit licentia Hierarchae loci. Talis enim erectio maxime pertinet ad monasterium sui iuris a quo dependet novum monasterium dependens. Requiritur tamen licentia Hierarchae loci ad praeveniendos abusus, ibid. § 1, 2.

In can. 9 applicantur dein monasteriis normae in Codice I. C., can. 497 §§ 2-4 statutae: Erectio monasterii vel constituendi monasterii permissio secumfert, si monasterium sit sui iuris vel filiale, licentiam habendi ecclesiam vel oratorium publicum et sacra ministeria peragendi...; si monasterium sit subsidiarium, licentiam habendi oratorium semi-publicum.

Etiam de suppressione monasteriorum singularum specierum accuratae normae traduntur in can. 10.

---

[2] Placidus de Meester, *De monachico Statu*, Città del Vaticano, 1942, pp. 70, 74-76 ss.

[3] Plac. de Meester, loc. cit., p. 100 s.

Peculiaris monasteriorum natura in aliis quoque quaestionibus secumfert ordinationem a communi ordinatione diversam. Ita praescribitur can. 32 § 1 ut « Superior monasterii sui iuris in officio ad vitam permaneat, nisi aliter ferat Typicum ». E contrario de Superioribus maioribus in Ordinibus et Congregationibus decernitur ut « sint temporarii, nisi aliter ferant statuta », § 2. In Codice I. C. hoc praescriptum etiam Superiores monasteriorum tenet (can. 505). Traditioni monasticae sane magis respondet norma can. 32 § 1 [4]. Superior secundum traditionem monasticam pater est totius communitatis monasticae, qui sicut pater naturalis non mutatur.

Idem modus concipiendi communitatem monasticam tamquam familiam religiosam influit in can. 86 in quo praescribitur ut unumquodque monasterium sui iuris iure potiatur habendi proprium novitiatum. § 1. Idem dein repetitur de iure habendi propriam studiorum sedem, can. 123 § 1. Notetur tamen familiam monasticam non limitari sodalibus in monasterio sui iuris viventibus, sed comprehendere etiam illos qui in monasteriis dependentibus resident. Supponitur tale monasterium habere omnia quae ad novitiatum vel ad sedem studiorum instruendam necessaria sunt. Si haec deficiant aliter providendum est, cf. cann. 86 § 3, § 5; 123, § 3; 126 § 1.

Quodsi in Codice I. C. omnibus religiosis, etiam monachis, praescribitur ut ad validitatem professionis peregerint annum integrum et continuum novitiatus, non parum differre videtur ius orientale secundum quod novitiatus perdurare debet « per triennium integrum et continuum », si agatur de monachis, can. 88, § 1, 2. Hoc praescripto antiqua iuris orientalis norma confirmatur. Tum apud Byzantinos, tum apud ceteros Orientales, Coptos, Syros etc. exempla talis definitionis temporis novitiatus invenimus. Iustinianus idem statuit in Nov. V, c. 2 et Nov. 123, c. 35. Idem sancitum est postea in synodo photiana aa. 859/861, can. 5, et in plurimis decretis, statutis, typicis posterioris temporis, etiam apud dissidentes, v. g. in monasteriis coenobiticis montis Athos [5]. Concedendum tamen est saepe in fontibus etiam tempus brevius admitti, praesertim si candidatus notus sit hegumeno, quo in casu non raro eius iudicio decisio de duratione novitiatus relinquitur. In Motu proprio haec libertas hegumeni certis limitibus circumscribitur; statuitur enim in can. 88 § 1, 2: « Superior autem monasterii sui iuris, de consensu sui consilii seu synaxis ad normam statutorum, dispensare potest, iusta et rationabili ex causa, a tertio novitiatus anno, firmo tamen praescripto can. 107 ». (In hoc canone ad validitatem professionis perpetuae requiritur annus aetatis vicesimus primus expletus).

[4] Plac. de Meester, loc. cit., p. 16, 205 ss.

[5] Plac. de Meester, loc. cit., p. 356.

Ad melius intelligendum quae de novitiatu statuta sunt, iuvat videre canones qui agunt de *professione monastica*. In antiquitate distinguebatur, saltem re si non verbo, votum publicum quod solum considerabatur in foro externo et votum privatum. Unicum votum publicum erat illud quod in professione monachali emittebatur (et in virginibus votum virginitatis cum velatione publica coniunctum). In Occidente vero a saeculo XII ortus esse videtur terminus voti sollemnis qui post multas discussiones adhibitus est ad distinguendum votum publicum sollemne et votum publicum simplex.

Designabatur hoc nomine votum quod effectus antiqui voti publici producere pergebat, votum publicum simplex vero non invaliditatem actuum contrariorum voto, sed tantum illiceitatem efficiebat. A Pio IX dein primum decretum est ut professioni sollemni praemitteretur professio simplex perpetua; post triennium vero vota sollemnia emitti poterant. In Codice I. C. praescribitur professio simplex ad triennium valitura. Hae mutationes ex parte saltem etiam apud catholicos orientales introductae sunt. In Motu proprio vero genuina Orientis disciplina, quod attinet ad monachos, restabilita est. In monasteriis novitiatus protrahitur ad triennium; ex altera parte non iam praemittuntur professioni perpetuae vota temporaria per triennium. Excipitur si candidatus absoluto novitiatu nondum attigit aetatem legitimam ad professionem praescriptam. Cum durius et forte minus prudenter actum videretur eum relinquere sine votis usque ad expletionem anni vicesimi primi, in can. 108 statuitur eum debere « nulla interposita mora, in ipso monasterio, temporariam professionem emittere, valituram usque ad aetatis legitimae assecutionem, nisi intervallum inter finem novitiatus et praescriptam aetatem sit brevius semestri: quo in casu Superior monasterii sui iuris potest statuere ut temporaria professio praetermittatur ».

Ex his quae dicta sunt apparet etiam cur in Motu proprio sermo non sit de professione votorum sollemnium et votorum simplicium, sed de professione maiore et minore. Nam terminus « votorum sollemnium » in historia vitae religiosae orientalis non invenitur; ad rem quod attinet, talia vota sunt vota a monachis emissa, ideoque haec vota monachalia exemplum praebent ex quo, secundum modum concipiendi orientalem, vota quoque sodalium Ordinum definiuntur, cf. can. 314 § 1. Cum vero hodie in Oriente quoque habeantur Congregationes, secundum effectus maiores vel minores, professio maior et professio minor distinguuntur, cf. can. 315.

Ad professionem quoque interdum tracta est distinctio monachorum quae re vera nil commune habet cum ea. Distinguuntur enim apud Orientales monachi parvi habitus et magni habitus, ad

quos accedunt tamquam primus gradus rasophori [6]. Haec divisio monachorum non respicit diversitatem votorum, sed potius vitam asceticam monachorum. Antiquissimis temporibus unus tantum gradus professionis monasticae habebatur. Sed ex saeculo IX habemus testimonia de exsistentia duorum graduum, habitus parvi et habitus magni seu angelici. S. Theodorus multique alii viri insignes virtute et scientia hanc divisionem reiecerunt; sed supprimi non potuit et usque ad nostra tempora conservata est. Vel acrius disputatum est de rasophoratu [7]. Alii negarunt rasophoros esse monachos professos, et votis ligari; sed moralem tantum obligationem agnoverunt manendi in monasterio. Alii rasophoros aequiparabant novitiis quibus iam aliquod vestimentum concessum sit, sed qui inde non professi evaserint; ita praesertim auctores Russi aliique Slavi censent. Alii, ut auctores Graeci, rasophoros vere monachos esse affirmant cum tribus votis religiosis. Can. 109 hanc ultimam sententiam admittere videtur; ceterum non clare controversiam dirimere voluti. Auctores utique sive antiquiores sive recentiores admittunt unam solam haberi professionem monasticam, quae comprehendit tria vota substantialia, non duplicem vel triplicem professionem cum obiectis diversis. Ita quoque nunc in can. 109 declaratur: « Quod attinet ad diversos professionis monasticae gradus, salva in singulis gradibus vi canonica monasticae professionis, standum statutis », seu aliis verbis: vis canonica professionis manet eadem in tribus illis gradibus seu modis profitendi vitam monasticam; quod ad alios effectus attinet, standum statutis. Differentia quae inter hos gradus exsistit, non respicit ipsam naturam vitae monasticae sed eius observantiam. Rasophori minus stricte eius praecepta observare adstringuntur - plerique monachi idiorrhytmici ad hunc gradum pertinent - staurophori seu monachi parvi habitus strictius ea servare debent; praecipue vero monachi magni habitus vitam austeram et contemplationi debitam agere debent.

Ad illustrandam diversitatem concipiendi vitam monasticam Occidentis et Orientis iuvat quoque videre canones qui ad transitum ab uno monasterio in aliud spectant. Secundum can. 183 § 1, 1 et can. 184, qui repetunt quae in Codice I. C., can. 633 et 634 statuta sunt, religiosus transiens ad aliam Religionem novitiatum peragere debet; quo peracto in Religione votorum perpetuorum, praetermissa professione temporaria, ad professionem perpetuam admittatur. Haec norma monachis orientalibus simpliciter applicari nequit. Secundum antiquum conceptum monachalem enim professio monachalis una est, non multiplex secundum numerum monasteriorum

---

[6] Plac. de Meester, loc. cit., p. 82 ss.. 86.
[7] Plac. de Meester, loc. cit., p. 84, 87 s.

quae quis ingreditur. Qui novitiatum absolvit et monastica vota emisit, monachus esse pergit, etiam si aliud monasterium, relicto priore, ingreditur. Neque iterantur vota, cum priore professione ligetur. Licite sane monachus orientalis monasterium relinquere non potest nisi cum licentia Superioris (aut Episcopi) aut propter graves quasdam rationes, uti stabilitae sunt v. g. in celebri responso patriarchae Nicolai III: 1) si Superior haereticus fiat; 2) si mulieres monasterium ingrediantur; 3) si pueri saeculares in monasterio litteris imbuantur [8]. Ceterum ex vitis Sanctorum notum est monachos praecipuos et sanctos saepe post commorationem multorum annorum relicto monasterio suo in aliam regionem transmigrasse ut ibi incogniti liberius contemplationi vacarent. Huius mentis rationem Motu proprio habet in can. 183 § 2, 2; admittit quidem ut in Typicis monasteriorum de obligatione peragendi novitiatum et emittendi professionem statuatur. « Quodsi in Typico de re non caveatur, nec novitiatum (transiens) peragit, nec novam professionem emittit; Superior vero monasterii ab eo exigere potest, ut aliquod tempus, non ultra semestre, experimenti causa, in monasterio transigat; quod tempus, si eo transacto dubium supersit an adscribi possit, idem Superior potest prorogare non tamen ultra alios sex menses. Transacto experimenti tempore, transiens aut ad pristinum monasterium redeat aut, cum suffragio deliberativo consilii seu synaxis, stabiliter novo monasterio adscribatur ». .

Hucusque de singulis monasteriis locuti sumus; adiicienda sunt aliqua de *confoederationibus monasteriorum.* Etiam in Codice I. C. nominatur Congregatio monastica (can. 488, n. 2) et Superior eius (can. 501, § 3), sed multo frequentius de eis sermo est in Motu proprio, in quo illa « Confoederatio monastica », hic « Praeses Confoederationis monasticae » nuncupantur, sive quod terminus « Congregatio » sine adiecto in Motu proprio Religionem votorum simplicium designat, sive quod ratio propter quam Codex I. C. probabiliter de Congregationibus monasticis loquitur - nempe quod uniones monasteriorum Ordinis S. Benedicti sic nominantur - in iure Orientali non valet.

In can. 11 agitur de erectione talis confoederationis: immediate perficitur inter plura monasteria sive virorum, sive mulierum sui iuris; mediate etiam monasteria dependentia ab his monasteriis sui iuris eidem confoederationi adscribuntur. Requiritur autem ut omnia monasteria sint eiusdem iuridicae condicionis, v. g. iuris pontificii, vel iuris eparchialis. Ratio manifesta est; nam si alia aliis Superioribus subiicerentur, uniformitas regiminis non iam haberetur. Porro si agatur de monasteriis iuris eparchialis, omnia ad eandem

---

[8] Plac. de Meester, loc. cit., p. 393.

eparchiam pertineant necesse est, ob similem rationem. Ad condendam vero confoederationem opus est licentia legitimae auctoritatis, cui reservatur quoque foederis leges approbare. Haec legitima auctoritas est loci Hierarcha, si monasteria sint iuris eparchialis; Patriarcha, si stauropegiaca; Sedes Apostolica, si sint iuris pontificii.

Monasterii non confoederati aggregatio et confoederati a Confoederatione separatio reservatur item loci Hierarchae, si monasterium est iuris eparchialis; Patriarchae, si est stauropegiacum; Sedi Apostolicae, si est iuris pontificii. Ad supprimendum monasterium sui iuris vel filiale confoederatum praeter ea quae in can. 10 §§ 1 et 2 praescribuntur pro suppressione omnis monasterii sui iuris et filialis, audiendus est Praeses Confoederationis, nisi agatur de monasterio pontificia exemptione fruente, quod supprimitur a Sede Apostolica. Bona talis monasterii cedunt Confoederationi (ibid. § 4). Suppressio autem ipsius Confoederationis fieri non potest nisi a Sede Apostolica vel, si Confoederatio sit iuris eparchialis, a Patriarcha, de consensu Synodi permanentis, audito loci Hierarcha et Praeside Confoederationis. Decretum autem Patriarchae exsecutioni tradi non potest, nisi post Sedis Apostolicae approbationem. De bonis quae ad ipsam Confoederationem suppressam pertineant, statuere, auctoritati reservatur qui eam suppressit, id est Sedi Apostolicae vel, si Confoederatio sit suppressa a Patriarcha ad normam § 2, Patriarchae, de consensu Synodi permanentis, salva offerentium voluntate, can. 12, § 3.

Sicut in can. 501, § 3 Codicis I. C., ita in can. 28 Motu proprio statuitur, Praesidem Confoederationis monasticae non habere omnem potestatem et iurisdictionem quam ius commune tribuit Superioribus maioribus, sed eorum potestatem et iurisdictionem desumendam esse, praeterquam ex iure, ex legibus et statutis cuiusque Confoederationis monasticae. Competit vero Praesidi Confoederationis monasticae virorum, electioni Superioris monasterii sui iuris praeesse, vel per se vel per delegatum, can. 34 § 2. Si agatur de Confoederatione iuris pontificii, Praeses quinto quoque anno vel saepius, si ita ferant statuta, ad Sedem Apostolicam relationem de statu Religionis mittere debet, can. 39 § 1, 1. Praeses Confoederationis iuris stauropegiacae ad relationem quod attinet, servare debet statuta, can. 40. Omnes autem Praesides Confoederationum cuiuslibet condicionis iuridicae singula monasteria Confoederationis temporibus in statutis determinatis visitare debent. Visitatorem autem monasterii quod ipse gubernet, statuta designare debent, can. 41 § 2.

Sicut monasterium, ita Confoederatio monastica capax est acquirendi et possidendi quaevis bona temporalia, nisi statuta acquirendi capacitatem excludant aut coarctent, can. 63 § 1. Inter maiores utilitates quae ex Confoederatione proveniunt, iure habenda est faci-

litas melius providendi religiosae et scientificae formationi novitiorum et alumnorum monasteriorum. In can. 86 non solum permittitur ut Superiores adspirantes ad novitiatum peragendum in aliud monasterium Confoederationis, iusta de causa, mittere possint, sed statuitur ut hoc imponi possit a synaxi Confoederationis, si monasterium confoederatum canonicis praescriptis de institutione novitiorum satisfacere non valeat. Permittitur quoque ut monasteria confoederata in unicum novitiatum consentire possint; immo ut synaxis hunc unicum novitiatum imponere possit, si plura monasteria singula proprium novitiatum habere non valeant. Similia praescripta eduntur de sede studiorum in can. 123 §§ 2 et 3; can. 126 § 1.

Singulare est praescriptum can. 152 § 2, in quo normae dantur de absentia religiosorum a propria domo ultra sex menses permittenda. In patriarchatibus requiritur licentia Patriarchae; extra patriarchatus Praesidis Confoederationis monasticae vel Supremi Moderatoris Religionis. Quaeri potest cur non idem statuatur ad patriarchatus quod attinet atque extra patriarchatus? Sed considerari forte debet peculiaris Patriarchae auctoritas quam etiam super monachos et religiosos exercet; haec auctoritas non competit reliquis Episcopis neque extra patriarchatus.

Quamquam in Oriente quoque certae formae exemptionis ab auctoritate Episcopi viguerunt, exemptio pontificia est originis occidentalis. Monachi et monasteria de se Hierarchae loci subiiciuntur. Nihilominus propter graves rationes Summi Pontifices etiam his privilegium exemptionis pontificiae concesserunt. In can. 163 § 2 statuitur ut Confoederationes quae a Sede Apostolica privilegium exemptionis obtinuerint, Ordinibus exemptis ad normam § 1 eiusdem canonis aequiparentur.

Notandi sunt deinde canones quibus monachi ab uno ad alterum monasterium eiusdem Confoederationis transitus ordinatur. Facilior enim hic transitus redditur quam transitus ad monasterium quocum tale vinculum non exsistit. Satis in hoc casu est auctoritas Praesidis Confoederationis neque requiritur licentia Sedis Apostolicae aut Patriarchae, can. 182 § 1. Transiens ad aliud monasterium sui iuris eiusdem Confoederationis nec novitiatum peragit, nec novam emittit professionem, can. 183 § 2, 1.

In dimissione religiosorum, ubi de religiosa professa votorum perpetuorum agitur, servanda sunt statuta quod attinet ad interventum Praesidis Confoederationis, can. 204 § 1,2. In processu vero iudiciali de dimissione virorum religiosorum votorum perpetuorum, in monasterio cuiusvis condicionis iuridicae confoederato Confoederationis Praeses praeest tribunali et competens est ad sententiam cum suo consilio ferendam, can. 207 § 1.

Praeter Confoederationem monasticam Motu proprio cognoscit etiam Consociationem Confoederationum, quae est « unio plurium Confoederationum sub eodem Praeside », can. 313 § 1,2. In Motu proprio verum paucis in locis explicite de ea sermo est, v. g. in can. 28 ubi agitur de potestate et iurisdictione Praesidis huius Consociationis, in can. 63, ubi de capacitate acquirendi bona temporalia decernit etc. Exemplum similis formae Religionis in Ecclesia Latina habetur in Ordine S. Benedicti, qui coalescit ex pluribus Congregationibus monasticis quae iterum ex monasteriis sui iuris componuntur.

2) *De Religionum divisione in Religiones iuris eparchialis, iuris patriarchalis, iuris pontificii.*

In Codice I. C. distinguuntur Religiones iuris dioecesani et iuris pontificii. Ex his ultimis aliae exemptae sunt seu subducuntur ab Ordinarii loci iurisdictione, praeterquam in casibus in iure expressis; aliae non sunt exemptae. In iure orientali ratio subiectionis singularum Religionum vel magis complexa est quam in iure latino, praesertim cum hic novus gradus iurisdictionis accedat, i. e. Patriarcha. Alia quoque diversitas notetur oportet. Status iuridicus monasteriorum de se alius est in iure orientali, alius in iure latino. Hic omnia monasteria iure communi exemptione pontificia gaudent. In Oriente monasteria subiecta sunt de se Hierarchae loci. Haec regula, in can. 4 concilii Chalcedonensis statuta, usque ad nostra tempora in vigore mansit, etsi non defuerint nec desint exceptiones. Nunc etiam in Motu proprio recepta est ideoque intra et extra patriarchatus viget. In aliis vero normae pro Orientalibus extra patriarchatus viventibus statutae magis ad ius latinum accedunt, praesertim cum Archiepiscopo, aliter atque in aliis partibus iuris factum est, nulla peculiaris potestas in religiosos concedatur. Nos hoc loco tantum canones pro patriarchatibus datos considerabimus, cum specialem attentionem mereantur.

Distinguenda sunt monasterium, Ordo, Congregatio. *Monasteria* sunt de se, ut diximus sub iurisdictione Hierarchae loci, seu *iuris eparchialis*. Possunt vero obtinere approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede, can. 312, § 2,3 servatis normis ab eadem datis, et ita evadunt iuris pontificii. Non cognoscuntur autem in Motu proprio monasteria iuris patriarchalis propter rationem quae mox apparebit. Ordo, e contrario, numquam est iuris eparchialis sed « in Ordinibus, religiosi et novitii, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis monialibus Ordinis Superiori religioso non subiectis, ab Hierarchae loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis; in Patriarchatibus autem iidem Patriarchae immediate subiiciuntur, nisi agatur de Or-

dine qui exemptione pontificia fruatur », can. 163 § 1. Congregationem vero Hierarcha loci condere potest, consulta Sede Apostolica, can. 13, § 1,1. Talis *Congregatio* ut liquet, *iuris eparchialis* habetur. Si autem decursu temporis in plures eparchias diffusa sit, fieri potest iuris patriarchalis, decreto Patriarchae, servatis illis quae can. 13, § 2 praescripta sunt.

Vidimus agnosci in Motu proprio *Ordinem iuris patriarchalis*, quem Patriarcha, obtento consensu Sedis Apostolicae condere potest, can. 13 § 1,2 et *Congregationem iuris patriarchalis*, quam vel ipse Patriarcha condidit, ibid., vel ad normam can. 13 § 2 sibi subiecit. Non autem admittitur monasterium iuris patriarchalis quia ad monasteria Patriarchae subiecta quod attinet, specialis in Oriente traditio habetur. Iam a saeculo IX saltem Patriarchae orientales ius habuerunt erigendi monasteria in toto territorio sibi subiecto, etiam extra eparchiam propriam. Haec reservatio fiebat eo quod in fundatione monasterii Patriarcha propriam crucem infigeret in fundamento (stauropegion). Quamquam certis temporibus Episcopi contra hoc privilegium Patriarchae propter abusus protestati sunt, tamen usque ad nostra tempora in vigore est. Hoc stauropegio monasterium Patriarchae multo arctius subiicitur quam condicione iuridica iuris patriarchalis. In Motu proprio eius condicio iuridica ita definitur: « Monasteria stauropegiaca a iurisdictione Hierarchae loci ad normam canonum eximuntur, et iurisdictioni Patriarchae immediate et exclusive subiiciuntur », can. 164 § 1.

Sequuntur *monasterium*, *Ordo*, *Congregatio iuris pontificii*. Ex his alia gaudent exemptione pontificia et subducta sunt ab auctoritate Hierarchae loci et Patriarchae, salva potestate quam ius in eos quoque Patriarchae et Hierarchae concedit. Alia non fruuntur hac exemptione, sed approbationem Sedis Apostolicae vel saltem laudis decretum consecuta sunt. Haec non sunt subducta ab auctoritate et iurisdictione Hierarchae loci, si de monasterio vel de Congregatione iuris pontificii, vel ab auctoritate Patriarchae immediata si de Ordine iuris pontificii, aut mediata si de monasterio vel Congregatione iuris pontificii agitur. Tamen limites inter quos haec auctoritas exerceri potest, magis coarctatae sunt.

Attendendum vero est terminum « exemptionis » non eundem sensum habere in Oriente atque in Occidente. Negative sane, quatenus negat iurisdictionem Hierarchae loci, conveniunt; positive vero exemptio in iure latino dicit condicionem qua Religio unice Sedi Apostolicae - nisi contrarium probetur - subiiciatur; in iure orientali vero condicionem qua subiecta est vel immediate Patriarchae vel uni Sedi Apostolicae, can. 312, § 2, 4. Exemptioni iuris latini respondet in iure orientali « exemptio pontificia ». Sic in iure orientali, praeter monasterium, Ordinem, Congregationem cum

exemptione pontificia, exempta sunt monasterium stauropegiacum et Ordo sive iuris pontificii sive iuris patriarchalis, non autem monasterium iuris pontificii quod exemptione pontificia non fruitur, neque monasterium eparchiale, neque Congregationes, sive iuris pontificii sine exemptione pontificia, sive iuris patriarchalis, sive iuris eparchialis.

His praemissis iam accuratius videndum est quinam effectus ex hac diversitate condicionis iuridicae sequantur. Et primo quidem agendum est de *Religionibus iuris eparchialis, seu de monasterio iuris eparchialis et de Congregatione iuris eparchialis.*

Hierarchae loci ex natura rei subiacent quae ad Religiones iuris eparchialis pertinent, nisi quaedam expresse iurisdictioni suae subtracta sint. Sic condere potest monasterium sui iuris « audito, in patriarchatibus, Patriarcha », can. 8 § 1, 1; potest licentiam dare monasteriis iuris eparchialis sibi subiectis Confoederationem ineundi et foederis leges approbare, can. §§ 11 § 1 et 2. Peragit monasterii non confoederati aggregationem et confoederati a Confoederatione separationem, dummodo agatur semper de monasteriis iuris eparchialis, can. 12 § 1. Potest condere Congregationem; sed eam ne condat inconsulta Apostolica Sede, can. 13 § 1, 1. Potest etiam permittere ut Congregatio iuris eparchialis constituat novam domum in sua eparchia, cum licentia tamen Patriarchae, can. 17 §§ 1 et 2. Consensum dat una cum aliis Hierarchis locorum, in quibus domus Congregationis iuris eparchialis habetur, ut mutari quid valeat in statutis, can. 18 § 3. Hierarcha loci indultum concedere potest quo permittatur condonatio ex toto vel ex parte dotis, si agatur de Religione iuris eparchialis, can. 79 § 4. Licentiam dat ad validitatem necessariam, ut erigatur novitiatus in Congregatione iuris eparchialis, can. 87, § 1, 2. Item licentiam scriptam dat sodalibus Religionis iuris eparchialis quorum domus in sua eparchia sita est, ut habitualiter stipem petere valeant, can. 171 § 1, 3. Item licentiam dat ut religiosus transire possit a iuris eparchialis monasterio vel Congregatione ad aliud monasterium vel ad aliam Congregationem iuris eparchialis, si monasterium a quo vel domus a qua fit transitus, aut monasterium vel domus ad quam fit transitus, in suo territorio sita est, ad normam can. 182 § 3. Concedit indultum exclaustrationis sodali Religionis eparchialis, si domus cui adscriptus est religiosus, ad suum territorium pertinet, can. 188 § 2, et similiter indultum saecularisationis, dummodo agatur de religiosis minore professione adstrictis, can. 190, § 2, 2. Partem habet quoque in dimissione sive religiosorum, sive religiosarum, can. 199 § 1, 3; § 2, 4; 203, § 2, 1; 205, § 1, 1.

Etsi autem Religiones iuris eparchialis pendeant de se ab Hierarcha loci, quaestiones ad eas spectantes interdum interventum

auctoritatis superioris requirunt. Ita, secundum regulam generatim in hac materia a Sede Apostolica servatam, auctoritas supprimendae Religionis vel domus Religionis non conceditur ei qui eam condidit, cum suppressio sit odiosa. Ita monasterium sui iuris vel filiale iuris eparchialis supprimi non potest nisi a Patriarcha, can. 10 § 1. Similiter suppressio Confoederationis fieri non potest nisi a Sede Apostolica vel, si Confoederatio sit iuris eparchialis, a Patriarcha, can. 12 § 2. De bonis autem Confoederationis a se suppressae statuere praeter Sedem Apostolicam potest etiam Patriarcha, ib. § 3. Ad Patriarcham quoque pertinet dividere Religionem in provincias, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere, conditasve supprimere, si agatur de Congregatione iuris eparchialis, can. 15 § 1.

Si Patriarchae competit intervenire in quaestionibus ad Religiones iuris eparchiales pertinentes, ubi id iure statutum sit, multo magis ad eum spectant negotia Religionum iuris patriarchalis. Condere potest, obtento consensu Sedis Apostolicae, Ordines; Congregationes autem, consulta eadem Sede Apostolica, can. 13 § 1, 2. Congregatio iuris eparchialis quae decursu temporis in plures eparchias diffusa est, fieri potest iuris patriarchalis, eius decreto, auditis eorum quorum interest, et obtento consensu Synodi permanentis, can. 13 § 2. Ordo iuris patriarchalis, etiamsi unica domo constet, supprimi nequit nisi a Sede Apostolica, can. 14 § 1. Patriarcha vero supprimere potest Congregationem iuris patriarchalis, de consensu synodi permanentis. Quod decretum exsecutioni tradi non potest, nisi post Sedis Apostolicae approbationem can. 14 § 2. Ordinem et Congregationem iuris patriarchalis in provincias dividere, constitutas iam provincias coniungere vel aliter circumscribere, novas condere conditasve supprimere potest, can. 15 § 1. Statuta Ordinis iuris patriarchalis approbat Patriarcha, audita synodo permanenti, can. 18 § 1; statuta vero Congregationis iuris patriarchalis approbat, auditis omnibus locorum Hierarchis in quorum eparchiis domus habentur, ib. § 2. Si agatur de prima domo Ordinis vel Congregationis iuris patriarchalis in aliquo loco erigenda, praeter licentiam Hierarchae illius loci requiritur etiam consensus Patriarchae, can. 19 § 1. Supremus Moderator Ordinis vel Congregationis iuris patriarchalis indiget consensu Patriarchae ad supprimendam domum sive formatam sive non formatam, can. 20 § 3. Relationem de statu Religionis quinto anno vel saepius, si ita ferant statuta, mittere debet ad Patriarcham Superior Ordinis vel Congregationis iuris patriarchalis, can. 39 § 1, 2. Dos praescripta in monasteriis monialium vel in Congregationibus condonari potest ex toto vel ex parte ex indulto Patriarchae quod attinet ad Religiones quae non sint iuris eparchialis vel iuris pontificii (i. e. vel iuris patriarchalis vel

stauropegiaca), can. 79 § 4. Licentiam necessariam ad valide erigendum novitiatum concedit Patriarcha, si domus pertineat ad Ordinem Patriarchae subiectum (i. e. ad Ordinem non fruentem exemptione pontificia) vel ad Congregationem iuris patriarchalis, can. 87 § 1, 2. Hierarcha loci religiosos exemptos qui extra domum deliquerint, puniens, si ad Ordinem Patriarchae subiectum pertineant (cf. supra), Patriarcham statim certiorem reddat, can. 165 § 3. Similiter si in religiosorum exemptorum domibus eorumve ecclesiis abusus irrepserint, Hierarcha obligatione tenetur rem statim deferendi ad Patriarcham, si domus aut ecclesia sit Ordinis Patriarchae subiecti, can. 166 § 1. Stipem habitualiter petere prohibentur, sine licentia Patriarchae scripto data, sodales religionis iuris patriarchalis, can. 171 § 1, 2. Ad intelligendum qua ratione Ordines et Congregationes iuris patriarchalis a Patriarcha et Hierarcha loci dependeant, iuvat considerare can. 167 et 168, secundum quos Hierarcha non potest in his Religionibus statuta ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere, salvo praescripto can. 65-67, nec se ingerere in regimen internum ac disciplinam, nisi ea ratione quae ibi indicatur; idem valet de Patriarcha sed tantummodo quod attinet ad Religiones iuris pontificii, non quod attinet ad Religiones iuris patriarchalis.

Dimittere potest religiosum votorum temporariorum in Ordine vel Congregatione iuris patriarchalis supremus Moderator de consensu sui consilii per secreta suffragia manifestato, can. 199 § 1, 2, religiosam in Congregatione iuris patriarchalis suprema Moderatrix de consensu sui consilii eadem ratione obtento, ibid. § 2, 3. Contra dimissionis decretum religioso vel religiosae datur recursus cum effectu suspensivo intra decem dies ad Sedem Apostolicam, aut, si agatur de Religione quae non sit iuris pontificii, ad Patriarcham, excepto casu quo decretum ipse ediderit, ibid. § 3, 4. Similiter in dimissione religiosorum votorum perpetuorum in Congregatione iuris patriarchalis ipse Religionis Moderator dimissionis decretum fert, sed ut suum sortiatur effectum hoc indiget Sedis Apostolicae vel Patriarchae confirmatione, excepto casu quo decretum ipse ediderit, can. 203, § 2, 2. In dimissione vero religiosarum votorum perpetuorum, res tota cum omnibus actis et documentis deferenda est ad Patriarcham ab Antistita monasterii vel a Superiore religioso, si monasterium ei subiiciatur, aut ab Antistita generali Ordinis ad normam can. 204, § 2, 2, si religiosa pertineat ad Ordinem Patriarchae subiectum; a suprema Moderatrice Congregationis si religiosa pertineat ad Congregationem iuris patriarchalis, can. 205 § 3. Sententia vero dimissionis religiosi qui vota perpetua nuncupavit in Ordine iuris patriarchalis exsecutioni tradi nequit, nisi fuerit a Patriarcha probata, can. 218, § 2.

Vel arctius quam Ordines et Congregationes iuris patriarchalis devinciuntur Patriarchae *monasteria stauropegiaca.* Iam supra vidimus can. 164 monasteria haec a iurisdictione Hierarchae loci eximi et iurisdictioni Patriarchae immediate et exclusive subiici. Id valet etiam de actibus in quibus religiones iuris patriarchalis vel pontificii exercitium auctoritatis Hierarchae loci relinquunt. Ita in monasteriis stauropegiacis ius et officium Hierarchae loci in electione antistitae pertinent ad Patriarcham, cui integrum est pro conscientiae officio peractam electionem confirmare vel rescindere, can. 34 § 3, 2. Patriarchae est in monasterio stauropegiaco sacerdotes a confessionibus designare vel approbare, firmo iure et officio loci Hierarchae id praestandi ad actum, nisi iure particulari etiam hoc ius et officium Patriarchae reservetur, can. 57 § 2. In mulierum monasterio stauropegiaco, eiusdem est sacerdotem a sacris designare et a contionibus probare, firmo iure loci Hierarchae facultatem contionandi ad actum concedendi, nisi id quoque, iure particulari, Patriarchae reservetur, can. 61, §2. In iisdem monasteriis iura et officia Hierarchae loci ad pecuniae monasterii collocationem spectantia uni Patriarchae competunt, etsi monialium monasterium Superiori religioso subdatur, can. 65 § 2. In his monasteriis Patriarcha habet ius et officium explorandi voluntatem adspirantium tum ad novitiatum, tum ad primam, tum ad perpetuam professionem, firmo iure particulari quod illud loci Hierarchae tribuat, can. 84 § 2,2.

Porro Patriarchae reservatur, obtento consensu Synodi permanentis, erectio cuiusvis monasterii stauropegiaci, can. 8 § 2. Ad aedificandas et aperiendas scholas, hospitium vel similis generis aedem separatam a monasterio requiritur praeter specialem Hierarchae loci licentiam etiam licentia Patriarchae si agatur de monasterio stauropegiaco, can. 9, § 2,1.

Monasterium vero stauropegiacum sui iuris vel filiale supprimi potest tantum a Patriarcha, gravi de causa, de consensu Synodi permanentis et audito Superiore maiore monasterii et Praeside Confoederationis, si monasterium sit confoederatum; subsidiarium autem supprimi potest a Superiore monasterii sui iuris ad normam statutorum, praevio consensu Patriarchae cum Synodo permanente, can. 10 §§ 1 et 3.

Patriarcha dat licentiam ad condendam Confoederationem monasteriorum stauropegiacorum eique reservatur huius foederis leges approbare, can. 11. Typicum monasterii stauropegiaci approbat audita Synodo permanenti, can. 18 § 1. Praeses Confoederationis stauropegiacae et Superior monasterii sui iuris stauropegiaci ad relationem quod attinet servare debent statuta, can. 40. Patriarcha sine dubio bonum statum monasteriorum stauropegiacorum curare eisque invigilare debet; modus vero huius officii explendi eius pru-

dentiae relinquitur: Ius et officium est Patriarchae visitandi per se vel per alium monasteria stauropegiaca quoties opportunum duxerit, can. 42. Patriarcha designat Episcopum ad quem Superior religiosus monasterii stauropegiaci litteras dimissorias pro religiosis ordinandis mittere debet, can. 132 § 2. Spectat ad Patriarcham accurate circumscribere clausurae monialium monasterii stauropegiaci fines aut legitima ex causa mutare, can. 140 § 3,2. Hierarcha loci puniens viros religiosos qui violaverunt clausuram monialium, si ad monasterium stauropegiacum pertinent, de re monere debet Patriarcham, can. 147 § 1. Similiter eum statim certiorem facere debet, si religiosi ad monasterium stauropegiacum pertinentes extra domum illegitime degant vel extra domum delictum commiserint nec a proprio Superiore, a se praemonito, puniantur, can. 165, § 3., aut si in eorum domibus vel ecclesiis abusus irrepserint et Superior monitus, prospicere neglexerit, can. 166 § 1. Ad stipem habitualiter petendam sodales monasterii stauropegiaci indigent licentia scripto data Patriarchae, can. 171 § 1,2. In dimissione religiosae professae votorum perpetuorum monasterii stauropegiaci rem totam cum omnibus actis et documentis ad Patriarcham deferre debet Antistita monasterii vel Superior religiosus, si monasterium ei subiiciatur, can. 205 § 3. Ad sententiam dimissionis ferendam in processu religiosi monasterii stauropegiaci qui vota perpetua nuncupavit, competens est Superior monasterii sui iuris stauropegiaci, nisi Patriarcha, de re certior a Superiore factus, causam ad se avocaverit, cum suo consilio..., can. 207, § 1. Sententia autem exsecutioni tradi nequit nisi fuerit a Patriarcha probata, can. 218, § 2.

Remanet dicere de *Religionibus iuris pontificii.* Quae ex his *exemptione pontificia fruuntur*, ab auctoritate Hierarchae loci et Patriarchae subductae sunt et subiectae uni Sedi Apostolicae, salva potestate quam ius etiam in eos locorum Hierarchis et Patriarchae concedit, cf. can. 24 § 1. Idcirco in casibus in quibus reliquae Religiones consensum vel licentiam Patriarchae vel Hierarchae loci, sive ad validitatem sive ad liceitatem actus expetere debent, Religiones iuris pontificii, pontificia exemptione fruentes ,plerumque obtinere debent consensum vel licentiam Sedis Apostolicae. De casibus in quibus omnes Religiones vel omnes fere Religiones subiiciuntur Hierarchae loci vel Patrairchae infra videbimus.

Magis complexa est condicio iuridica *Religionum iuris pontificii sine exemptione pontificia.* Ex his exemptus est Ordo iuris pontificii; non exempta sunt monasterium et Congregatio iuris pontificii, quae exemptione pontificia non fruuntur. Non obstante hac diversitate quae sine dubio gravis est, habetur paritas quaedam eatenus saltem quatenus nec Patriarcha nec Hierarcha loci potest statuta ullatenus immutare aut de re oeconomica cognoscere; neque licet

iis in iisdem Religionibus sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis, nisi agatur de mulierum monasterio vel Ordine vel de Congregatione laicali in quibus Hierarcha loci maiorem quandam potestatem habet. Tamen in virorum monasteriis iuris pontificii et in Congregatione iuris pontificii, si abusus irrepserint et Superior ab Hierarcha loci monitus, prospicere neglexerit, interim idem Hierarcha providere potest, si abusus fidelibus gravi scandalo fuerint. Quodsi agatur de domo formata, certiorem de re faciat Sedem Apostolicam. Hoc ius limitatum vero est ad monasterium et Congregationem quae non sunt exempta, non ad Ordinem extenditur qui exemptus est et ubi Patriarcha praesens in territorio facile providere potest, can. 167.

Quod vero ad actus attinet, pro quibus consensus vel licentia vel alius interventus superioris auctoritatis requiritur, duplex series canonum distingui potest: in aliis Religio iuris pontificii sine exemptione pontificia sequitur fere normas pro ceteris Religionibus exemptione pontificia non fruentibus datas; in aliis ei applicantur normae statutae pro Religionibus pontificia exemptione fruentibus. Ita v. g. quod attinet ad monasterii subsidiarii suppressionem, can. 10 § 3; ad suppressionem domus Ordinis vel Congregationis, can. 20 § 3; ad licentiam requisitam ad valide erigendum novitiatum Ordinis, can. 87, § 1,2; ad certiorem reddendum Patriarcham de religioso Ordinis delinquente puniendo, can. 165 § 3; vel de abusibus quae in domum Ordinis irrepserint, can. 166 § 1; ad licentiam habitualiter stipem colligendi, can. 171, § 1, 2. Isti canones potius interventum Patriarchae statuunt. E contrario ubi agitur de approbando Typico, can. 18, §§ 1 et 2; de suppressione Ordinis vel Congregationis, can. 14; de condonatione dotis, can. 79, § 4; de dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in Congregatione clericali non exempta vel laicali, can. 203 § 2,2 opus est licentia vel approbatione vel interventu Sedis Apostolicae. In canone 19 praescribitur ad constituendam domum Ordinis vel Congregationis, ut habeatur beneplacitum Sedis Apostolicae, si Religio fruatur exemptione pontificia, consensus Patriarchae, si Religio sit iuris patriarchalis; praeter licentiam Hierarchae loci quae in omni casu requiritur, sed sola requiritur si agatur de Ordine vel Congregatione iuris pontificii sine exemptione pontificia, §§ 1 et 2. Singulare est quod licentia Patriarchae opus est ad constituendum valide novitiatum Ordinis iuris pontificii qui exemptione pontificia non fruitur, can. 87, § 1,2, licentia Sedis Apostolicae, si novitiatus pertineat ad Congregationem eiusdem condicionis iuridicae; porro quod decretum dimissionis religiosi qui vota perpetua in Congregatione clericali iuris pontificii non exempta nuncupavit, indiget Sedis Apostolicae confirmatione, can. 203, § 2,2, sententia dimissionis vero

viri religiosi qui vota perpetua nuncupavit in Ordine iuris pontificii exemptione pontificia non fruente, indiget Patriarchae approbatione, can. 218 § 2. [8].

Hoc loco rationes quibus legislator motus est ad singulas has normas statuendas, explorare non possumus; ex altera parte teneatur mente, Ordines intimius cum institutionibus patriarchatuum coniunctos esse quam Congregationes originis potius recentis et interdum inspirationis minus orientalis. Apud Melchitas numerus sacerdotum religiosorum v. g. longe superat numerum cleri saecularis. Porro Patriarchae quadam ratione vices Summi Pontificis in suo territorio gerunt, ideoque negotia minus gravia vel quae ob eorum in territorio praesentiam facilius deciduntur, eis relinquuntur, ut licentia stipem colligendi etc. Consentaneum contra est, quod negotia graviora quae ipsam naturam condicionis iuris pontificii tangunt, Sedis Apostolicae interventum requirunt, v. g. approbatio Typici, can. 18 §§ 1 et 2.

Ob easdem rationes Patriarchae aliae quoque facultates et iura attribuuntur quae omnes Religiones vel plerasque (v. g. exclusis Religionibus iuris eparchialis) tangunt. Ita legitimus Superior cuius licentia ad bona ecclesiastica alienanda requiritur, est Patriarcha, si res sint pretiosae vel bonorum pretium versetur ultra triginta milia sed infra sexaginta milia francorum, can. 66 § 2, 2. Relationem statutis temporibus omnes fere Religiones, exceptis eis quae iuris eparchialis sunt, ad Patriarcham dare debent, ut ipse cognoscere valeat statum religiosum patriarchatus, can. 39, § 1, 2; can. 40. A lege clausurae in mulierum monasteriis cuiusvis condicionis iuridicae gravi de causa sicut Hierarcha, ita etiam Patriarcha dispensare potest, can. 143 § 2. Patriarcha licentiam dare potest manendi extra proprias Religionis domus ultra sex menses, can. 152. In patriarchatibus religiosus transire potest a monasterio sui iuris ad aliud monasterium sui iuris, ab Ordine vel Congregatione

---

[8] Haec nostra interpretatio canonis 218 nititur regula iuris : generi per speciem derogatur. Aliis verbis : normae generali secundum quam sententia a tribunali Religionis iuris pontificii lata indiget approbatione Sedis Apostolicae, derogatur § 2 qui ius probandi sententiam Patriarchae tribuit, quoties agatur de Ordine iuris pontificii qui non fruitur exemptione pontificia (Ordo a Patriarcha dependens). Fateor tamen hanc interpretationem non esse certam. Nam secundum can. 199 § 3, n. 4 recursus religiosi votorum temporariorum, si Religio sit iuris pontificii, non ad Patriarcham sed ad Sedem Apostolicam dirigendus est ; si hic Patriarchae minus non conceditur (cum agitur de religioso votorum temporariorum), a fortiori non videtur concedendum maius (cum agitur de religioso votorum sollemnium eiusdem Ordinis). Addi potest quod in § 1 non expresse mentio fit § 2, ut legislator in his casibus facere solet (cf. anteriores quoque Litteras « Motu proprio » datas ad Codificationem pertinentes). In hac altera interpretatione verba « Ordo a Patriarcha dependens » aequivalerent termino « Ordo iuris patriarchalis ».

ad alium Ordinem vel aliam Congregationem, consentiente utriusque monasterii Superiore vel utriusque Religionis supremo Moderatore et obtenta licentia Patriarchae, can. 182 § 2. Patriarcha quoque indultum exclaustrationis concedit omnibus religiosis, exceptis illis qui exemptione pontificia fruuntur, can. 188 § 1, 2. Item concedere potest indultum saecularizationis religiosis cuiusvis condicionis iuridicae, dummodo agatur de religiosis professione minore adstrictis, can. 190, § 2.

Ceterum non obstante diversitate condicionis iuridicae religiosorum iuris eparchialis, iuris patriarchalis, iuris pontificii, ipse Hierarcha loci quoque gaudet certis iuribus et facultatibus quae omnes, vel fere omnes Religiones attingunt; longum est hic omnia enumerare quae magna ex parte ex Codice I. C. desumpta sunt, satis est ut videantur v. g. can. 9, § 1, 1; § 2, 1; can. 19 § 1, 1; § 2; § 3; can .44; can. 57 § 1; can. 60; can. 61 § 1; can. 65, § 1, 3, 5; can. 143 § 2; can. 165, 166, 167, 168; can. 171, § 2, § 3, § 5; can. 198 § 2, 1 etc. Speciali ratione ei subiiciuntur monialium monasteria, etsi non sint iuris eparchialis, sicut iam factum est in Cod. I. C. Magni quoque momenti est, ut in Codice I. C., Religionum divisio in monachos viros et Religiones clericales ex una parte, et moniales Religionesque laicales ex altera parte [9]. Monachi non adnumerantur Religionibus clericalibus, sicut fit in Codice I. C., - termini Religionis clericalis et laicalis adhibentur tantum in can. 314 § 3, non in can. 313, § 3 - cum status monachi de se indifferens sit ad ordinationem sacerdotalem. In canonibus vero monachi aequa ratione tractari solent atque religiosi Ordinis vel Congregationis clericalis.

3) *De aliis canonibus in quibus vel ius orientale a iure latino diversum proponitur, vel experientia duce nova lex a norma Codicis I. C. pro Oriente recessit.*

Inter antiquas institutionees ab anterioribus legibus ad Codificationem canonicam orientalem pertinentibus restauratas, memoranda est in primis *Synodus permanens*. In Motu proprio « Sollicitudinem Nostram » Summus Pontifex enim iusserat ut apud Patriarchas institueretur *Synodus permanens* quae una cum Patriarcha tribunal in causis gravissimis constitueret. Sed haec tantum ad iudicia referebantur, in nostro Motu proprio competentia Synodi permanentis etiam ad quaestiones administrationis extenditur. In can. 8 § 2, reservatur v. g. Patriarchae erectio cuiusvis monasterii stauropegiaci, obtento consensu Synodi permanentis. Simile praescriptum invenitur in can. 12 § 2, ubi de suppressione Confoederationis iuris eparchialis, et in can. 13 § 2, ubi de transmutatione Congregationis

[9] v. g. can. 9 § 1, 1; 19, § 2; 46 § 1, 1; 167 § 2 etc.

iuris eparchialis in Congregationem iuris patriarchalis sermo est. Alibi Synodus permanens audiri debet a Patriarcha, v. g. in approbatione Typici monasterii stauropegiaci et statutorum Ordinis iuris patriarchalis, can. 18 § 1.

Notum est plures *Ordines et Congregationes latinas admisisse Orientales* ita ut hi proprium ritum conservarent, alumni Religionis latinae exsistentes, v. g. Congregatio SS. Redemptoris, Ordo S. Benedicti, Societas Jesu, O. Fratrum Minorum, Ordo Fr. Min. Cappuccinorum, Ordo Fr. Min. Conventualium etc. Hi cum Religioni latinae, ritui orientali adscripti sint, quaeritur quibus legibus subiiciantur, latinis an orientalibus? Difficultas magis spectat communitatem quam singulos. Idcirco in can. 5 § 1 statuitur ut *domus* Religionum latini ritus quae orientali ritui, probante Apostolica Sede, adscriptae sunt, huius leges servare debeant, v. g. quod statuitur de ieiuniis et abstinentiis, de cultu divino, de administratione sacramentorum etc. Salva autem dicuntur praescripta statutorum quae internum regimen Religionis respiciunt et privilegia suae Religioni a Sede Apostolica Sede concessa. Ita quae statuuntur de duratione novitiatus, de qualitatibus in Superioribus requisitis etc.

In § 2 agitur de *Religione ritus orientalis* quae, consentiente Sede Apostolica, domus et provincias diversi ritus orientalis habet; quaeritur autem ad regimen quod attinet, a qua ritus orientalis ecclesiastica Hierarchia pendeat? Animadvertendum est, agi de dependentia ipsius Religionis qua talis, non de dependentia singularum domorum et provinciarum. Cum in hac re multa consideranda sint, Sedes Apostolica sibi designationem in singulis casibus reservavit. Exemplum est v. g. Ordo Basilianus S. Josaphat, qui provincias ad ritum ruthenum et ad ritum rumaenum pertinentes comprehendit. Ceterum in Ordine exemptione pontificia fruente haec quaestio minorem gravitatem quam in aliis Religionibus habet.

In iure latino secundum can. 501 C. I. C., Superiores et Capitula potestatem habent dominativam in subditos; in religione autem clericali exempta habent iurisdictionem ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro externo. Eadem fere verba leguntur in Motu proprio can. 26. Hic tribuitur *iurisdictio ecclesiastica tam in foro interno quam in externo*, ad normam statutorum et iuris communis *Superioribus et synaxibus in monasterio exempto et in Religione clericali exempta*. Iam supra vidimus termino exemptorum plures Religiones comprehendi quam in iure latino; ita monasterium et Religiones clericales pontificia exemptione gaudentes, sed etiam monasterium stauropegiacum, Ordo sive iuris patriarchalis sive iuris pontificii clericalis. Non igitur res ita intelligenda est ac si in omnibus Religionibus Patriarchae immediate subiectis hic eadem iura exerceat atque Hierarcha loci in Religionibus iuris eparchialis. Su-

periores Religionum quas supra indicavimus ipsi iurisdictionem habent, ideoque non recurrere debent in omnibus quaestionibus in quibus iurisdictione opus est ad Superiorem externum. Propterea quoque « Hierarchae nomine... intelliguntur.. quod attinet ad ipsorum subditos, Superiores maiores in monasteriis exemptis et in Religionibus clericalibus exemptis », can. 306 § 2, 1.

Nihilominus, quod etiam alienum est a Codice I. C., secundum traditionem antiquam orientalem reliqui quoque Superiores et synaxes *iurisdictionem in certis casibus* habere possunt. Ita legitur in can. 26 § 2, 2: « Superiores maiores monachorum non exemptorum cuiusvis condicionis iuridicae, et Congregationum clericalium iuris pontificii non exemptarum vel iuris patriarchalis habent iurisdictionem ecclesiasticam in utroque foro tantum in casibus in iure expressis ». Excluduntur tantum Religiones laicales et Congregatio clericalis iuris eparchialis ob rationes quae facile intelliguntur. Ex hac norma sequitur dein statim § 3: « Superiores maiores monachorum non exemptorum cuiusvis condicionis iuridicae, et Congregationum clericalium iuris pontificii non exemptarum vel iuris patriarchalis, dispensare valent, quod attinet ad ea in quibus ab Hierarcha loci exempti sunt, tum ab universalibus Ecclesiae legibus tum a legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro aliquo ritu vel pro particulari territorio seu coetu personarum, intra fines quibus potestas dispensandi ab iisdem legibus Hierarchis infra Romanum Pontificem competit ». Ratio huius normae patet; nam cum Hierarcha loci in his materiis sibi subductis non iam iurisdictionem habeat in eos, neque dispensare possit, ideo consentaneum est facultatem dispensandi Superioribus religiosis concedi. Quod Religiosi non exempti in aliquibus casibus iurisdictionem habere possent, non alienum erat a iure anteriore pro Orientalibus vigente. Benedictus XIV v. g. confirmans Ordinis Constitutiones contulit Abbati Generali Soairitarum die 12 Augusti 1757 plenam iurisdictionem in utroque foro, non exclusa potestate infligendi censuras et reservandi sibi peccata et censuras; sed in eodem documento eos subiecit potestati Patriarchae et Episcoporum [10]. Cum haec non convenirent cum iure latino, multum disputatum est de natura et extensione potestatis quam Patriarcha et Episcopi habeant super monachos. Hodie ex Motu proprio iuris praescripta manifesta sunt.

In can. 44 ordinantur quae spectant *ad officium Hierarchae loci visitandi per se vel per alium religiosos*. Pleraque hic statuta conveniunt cum praescriptionibus can. 512 Codicis I. C. Secundum principia generalia a visitatione excipitur § 1, 1 monasterium mo-

[10] Mansi. t. 46, cc. 1262 s.; cf. ex altera parte constit. « *Demandatam* », ibid. c. 337.

nialium stauropegiacum, cum huius visitatio spectet ad Patriarcham. In n. 2 vero subiiciuntur visitationi virorum monasteria iuris eparchialis, cum, ut vidimus, aliter ac in iure latino, monachi de se subiecti sint Hierarchae loci iurisdictioni. Signum eiusdem tendentiae iuris orientalis restringendi exemptionem, apparet quoque in § 2, 2 in quo officium visitandi monasterium vel domum religiosam, « in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum poenitentiae » extenditur etiam ad monasteria et Ordines clericales exemptione pontificia fruentes; in Codice I. C. e contrario, hi eximuntur ab hac visitatione et tantum domus *Congregationis* clericalis exemptae (i. e. pontificia exemptione fruentis) ei subiicitur. In § 3 officium Hierarchae loci statuitur visitandi omnes religiosos cuiusvis condicionis iuridicae in casu negligentiae Hierarchae proprii, quod in Codice C. I. tantum respicit moniales Superiori regulari subiectas, (can. 512, § 2, 1.).

In can. 65 agitur de *praevio Hierarchae consensu quod attinet ad pecuniae collocationem*. Hic consensus requiritur ad collocationem pecuniae dotem professarum constituentis, non solum in Congregationibus iuris pontificii, ut in Codice I. C., sed etiam in Congregationibus iuris patriarchalis. Num. 3 vero eiusdem canonis in duas partes divisus est: secundum rationem quae etiam in aliis canonibus novae legis servatur, consensu praevio Hierarchae loci indigent: « 3. Superior vel Antistita cuiusvis domus religiosae, si bona sint attributa vel legata eo fine ut in beneficentiam in loco impendantur ». Vigilantia super bona ecclesiastica ad beneficentiam in loco destinata, ut facile intelligitur, ad Hierarcham loci pertinet. Eodem quoque consensu praevio indigent: « 4. Superiores domus Congregationis iuris eparchialis et Antistita domus cuiusvis Religionis, si bona sint attributa vel legata ad Dei cultum ». Non indigent hoc consensu igitur Superiores monasteriorum virorum et aliarum Religionum virorum quae non sunt iuris eparchialis, (etsi sint laicales, ut videtur), cum cura de pecunia ad cultum adhibenda ad proprios Superiores spectet.

Non parum diversa est *disciplina clausurae* in Ecclesia latina et in Ecclesiis orientalibus. In Occidente praecipue tempore pseudoreformationis propter multa scandala normae severae editae sunt quae posterioribus saeculis ex parte vel severiores evaserunt. In Oriente haec evolutio non habetur. Hic praecipuas tantum differentias indicamus. In can. 140 § 1 omittitur terminus clausurae *papalis*, cum talis munita gravissimis censuris Sedi Apostolicae reservatis, non habeatur. Ut ex can. 143 § 1 apparet in mulierum monasteriis non interdicitur quominus eiusdem sexus personae admittantur, quamquam can. 144 monet « ne externae, sine gravi causa, ad commorandum in ipsa, vel per breve tempus, admittantur ».

Intra clausuram in mulierum monasteriis admitti quoque potest: « Patriarcha cum comitatu si monasteria, ubicumque sint, pertineant ad suum ritum; Archiepiscopus autem si monasteria sint in suo archiepiscopatu, non vero quae extra eum sunt ». can. 143 § 1,1. Conceditur quoque facultas Hierarchae loci clausuram monialium per se ingrediendi, cauto ut unus saltem clericus vel religiosus vir gravis eos comitetur, etiam extra casum visitationis, quoties partes sui pastoralis officii id requirant ». ib. n. 2. Idem Hierarcha a lege clausurae in mulierum monasteriis cuiusvis condicionis iuridicae, gravi de causa dispensare potest, servatis cautelis praescriptis in statutis; itemque, in patriarchatibus, Patriarcha, ib. § 2. Gravis, sed mitior quam in iure latino est etiam prohibitio egregiendi e monasterio: requiritur gravis causa et licentia Hierarchae, quae si necessitas urgeat nec tempus suppetat licentiam petendi, iure praesumitur, can. 145.

Quod ad novitiatum attinet statuitur in can. 558 Codicis I. C.,: In religionibus in quibus *duae sunt sodalium classes*, *novitiatus pro altera classe peractus*, pro altera non valet ». In Motu proprio maior libertas conceditur Religioni; dicitur enim: « In Ordinibus et Congregationibus in quibus duae sunt sodalium classes, ad transitum novitii quod attinet de una ad aliam classem, servetur ius particulare », can. 91. Pro certis condicionibus et Religionibus haec norma magis apta videtur.

In can. 106 (can. 572 C. I. C.) additur § 3, in qua sancitur usus iam valde diffusus admittendi *ad professionem novitium in periculo mortis* constitutum; definitur effectus talis professionis; si vero convalescat professio vim habere desinit.

Quod in can. 542, 2 C. I. C. constitutum erat de Orientalibus in latinis Religionibus sine venia scripta Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali in novitiatum non admittendis, nunc in can. 74 Motu proprio extenditur quoque ad *Latinos non admittendos in orientalibus Religionibus* et ad *Orientales non admittendos in Religionem orientalem diversi ritus.*

In can. 575 § 2 C. I. C. statutum est ut suffragium Consilii seu Capituli pro prima professione temporaria sit deliberativum, pro subsequente professione perpetua, sollemni vel simplici sit consultivum tantum. Quamquam non desunt rationes pro tali praescriptione, plerique etiam suffragium *pro subsequenti professione perpetua voluerunt deliberativum.* Quod pro Orientalibus Motu proprio nunc praescribit can. 111, § 2.

In can. 120 expresse dicitur, emissa professione religiosa ipso facto et sine ulla declaratione vacare quaelibet *professi officia.*

Supra locuti sumus de iurisdictione in casibus singulis quae etiam concedi potest, secundum Motu proprio Superioribus qui

exemptione non fruuntur, cf. can. 26. Invenimus talem casum in can. 131 quo Superioribus maioribus cuiusvis Religionis ad normam statutorum conceditur ut *suis subditis litteras dimissorias dare possint ad ordines minores emissa prima professione, ad ordines maiores, emissa perpetua professione*, in Religione a votis perpetuis; elapso sexennio a prima professione, in Religionibus sine votis perpetuis ».

In can. 171 ordinatur ex novo *disciplina collectionis eleemosynarum*, ratione habita Orientis condicionum.

In can. 175 § 3 eximitur ab obligatione petendi licentiam Superioris *religiosus qui ad officia et beneficia synodalia* in patriarchatibus a Synodo electionum promovetur; nam qui ab auctoritate superiore vocatur, huic iam non est necessaria licentia Superioris inferioris.

Haud parvae difficultates non raro habentur *inter parochum religiosum et Superiores Religionis, si ipsa ecclesia paroecialis sit Religionis*. In can. 179 § 4 nonnulla aliter ordinantur ac in Codice I. C. Ita eleemosynas non solum pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda, sed etiam pro divino cultu in ipsa exercendo, accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores si ecclesia sit communitatis religiosae; quod dein amplius explicatur: h. e. si communitas sibi vindicet ecclesiae proprietatem aut usum in perpetuum vel saltem ad tempus indefinitum; secus servetur praescriptum can. 264. Explicatio ultimis verbis contenta adiuncta esse videtur quod nostris temporibus ecclesiae paroeciales rarius proprietas religiosorum fiunt, sed contractu in usum sive perpetuum sive ad tempus indefinitum traduntur. Quod autem bona ad divinum cultum in ecclesia exercendum non a parocho, sed a Superiore religioso administrantur, convenit cum norma quae in can. 1182 § 1 Codicis I. C. continetur, quae parocho attribuit administrationem bonorum quae ad ipsum populum paroeciae eiusque opera destinata sunt, personae morali administrationem bonorum quae data sunt ad ecclesiam reparandam et decorandam et divinum cultum in ea exercendum.

Interdictionibus quibus subiacet professus ad saeculum regressus, adiungitur in Motu proprio *exclusio a titulo praelatitio honoris causa*, can. 193 § 1, 4.

Quod ad dimissionem religiosi attinet, applicantur canones de dimissione religiosi votorum temporariorum etiam *religiosis qui vota emiserunt sub hac vel simili clausula* « donec in Congregatione vivam », ita ut sodalis sive sponte secedat, sive a Superiore dimittatur, ipso facto a votis liber evadat, can. 201.

Pars II: *De bonis Ecclesiae temporalibus.*

Hic quoque praecipua tantum indicamus quibus Motu proprio ius antecedens aut mutatur aut completur.

Primo loco huc referendi sunt canones quibus definiuntur *iura et obligationes Patriarcharum in materia indicata*, cum haec dignitas tamquam gradus iurisdictionis a iure latino exsulet. Eiusmodi additamenta inveniuntur v. g. in can. 245 § 1 (de praedefinitione taxarum), can. 247, n. 4 de praescriptione finium patriarchatuum, archiepiscopatuum etc. Praesertim vero attendendi sunt canones 249, in quo tempus ad praescribendum contra patriarchatum necessarium spatio 50 annorum determinatur; can. 258, in quo ius et officium Patriarcharum invigilandi administrationi bonorum ecclesiasticorum in toto patriarchatu circumscribitur; can. 259 in quo praecipitur ut constituatur officium speciale pro administratione bonorum patriarchatus, et munera ministrorum eius, praesertim Oeconomi patriarchalis definiuntur; can. 270, in quo determinatur quam curam Patriarcha habere debeat sedis episcopalis vacantis; can. 281, 282, 291 § 2,1 et 2 in quibus de alienatione et locatione bonorum ecclesiasticorum agitur: Patriarchae licentia necessaria est, una cum consensu Synodi permanentis, si pretium rerum excedit 30.000 francorum, sed non superat summam 60.000 francorum.

Ad Episcopum spectant can. 260 (personam sustinet eparchiae et mensae domusve episcopalis); can. 262 et 263 § 3 quibus simile officium instituendum praescribitur pro administratione bonorum eparchiae uti praescriptum est pro administratione bonorum patriarchatus; can. 271, de bonorum administratione sede vacante.

Iam in pluribus ex canonibus citatis manifestatur studium curandi ne patrimonium Ecclesiae damnum patiatur. Explicite urgetur gravis obligatio Superiorum servandi praescripta legis civilis, ut ius Ecclesiae in tuto ponatur, can. 256 et can. 268. Lex insistit quoque in testamento faciendo a beneficiario quo superfluam fructuum beneficii partem determinet ad causas pias, et statuitur praesumptio: « Beneficiariorum qui ab intestato decesserunt omnia bona atque possessiones, nisi contrarium legitime probetur, praesumuntur esse beneficii vel beneficiario qui decessit intuitu beneficii data », can. 268 § 3.

In nonnullis canonibus apparet voluntas determinandi accuratius ratione iuridica normam a Codice I. C. datam, v. g. in can. 246, ubi de praescriptione sermo est, can. 278 § 2, de lege qua contractus regitur. Adspirationibus socialibus nostri temporis respondet, si in can. 272 § 1 cavendum dicitur « ne aliter in operae praestatione boni operariorum mores, valetudo, personae iura aut humana dignitas quicquam detrimenti capiant »; quae desumpta sunt ex Pii XI litt. encyclicis « Quadragesimo anno » 1931, II, n. 4.

Ex condicionibus Orientis peculiaribus explicantur can. 239 in quo supponuntur decimae et primitiae Superioribus ecclesiasticis solvendae; can. 245 § 2, quo Hierarchae diversorum rituum exhortantur ut ab eis collatis consiliis, eadem notula seu regula taxarum pro variis actibus iurisdictionis non iudicialis vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae aut Patriarchae vel occasione ministrationis sacramentorum vel sacramentalium pro omnibus statuatur.

In can. 1550 Codicis I. C. statutum est ut iura et officia Ordinarii loci quatenus respiciant pias fundationes, exclusive competant Superiori maiori si fundationes factae sint in ecclesiis etiam paroecialibus religiosorum exemptorum. In Motu proprio haec norma extenditur ad omnia monasteria virorum cuiusvis condicionis iuridicae aut Religionis clericalis iuris pontificii vel patriarchalis, can. 300.

Pars III: *De verborum significatione.*

Huius partis in Codice I. C. non habetur vestigium. Definitiones ne in illo quidem desunt, sed non sunt collectae in unum, sed per totum Codicem sparsae. Utilius visum est legislatori in Motu proprio omnes has colligere et in uno capite proponere, in qua re sine dubio praelucebat exemplum Iustiniani Imperatoris. Cum iam plurium verborum significationem viderimus in Parte I, alia cum iure latino plene concordent, breviter unum alterumve punctum tantum attingamus.

Nova est definitio *rituum orientalium*, quae in can. 303 § 1 proponitur. In hoc canone in primo loco ponuntur quinque ritus principales quae fondamentum sunt ulterioribus divisionibus, ritus alexandrimus, antiochenus, constantinopolitanus, chaldaeus et armenus. Additur « de quibus canones decernunt », ut apparet, sine dubio, agi de canonibus, seu de iure canonico, non de divisione rituum liturgicorum ut talium. Idem momentum atque quinque illi ritus habent in iure dein eorum partes quatenus eas uti ritus sui iuris expresse vel tacite agnoscit Ecclesia. Ita v. g. ritus graecus, melchita, russicus, ruthenus etc., qui ad ritum constantinopolitanum seu byzantinum, ritus maronita et syrus qui ad ritum antiochenum pertinent.

In § 2 manifestatur desiderium Apostolicae Sedis curandi ne *ex multiplicatione rituum oppositiones et damna* oriantur.

In can. 305 § 1 notanda sunt ultima verba canonis in quibus praeter potestatem ordinis et iurisdictionis *alia publica potestas agnoscitur in Ecclesia.* Vix erraveris si haec verba referas v. g. ad pote-

statem dominativam publicam, de qua cf. quae scripsit P. A. Larraona [11].

In can. 306 § 4 declaratur quod attinet ad totum patriarchatus territorium *Patriarcham non venire nomine Hierarchae.* Neque mirum; nam Patriarchae non est facere quae ad immediatum animarum pastorem spectant, sed huius pastoris immediati factis invigilare, ea corrigere vel supplere. Licet autem non sit Hierarcha habet in toto patriarchatu, nisi aliud cautem sit, iurisdictionem aliaque iura et officia quae ipsi iure tribuuntur.

His absolvimus brevem praesentationem et succinctam explicationem novi Motu proprio, quod sine dubio numerum maiorem continet normarum Orientalibus peculiarium quam duo Motu proprio antecedentia. Legislator, ut ex omnibus apparet, venerandam et antiquam religiosorum disciplinam servare voluit, simul vero studuit eam ita applicare ut nostris temporibus eorumque necessitatibus adaptata inveniretur. Sapienti hac nova lege pro monachis ceterisque religiosis Orientis promulgata speramus fore ut vita religiosa Orientis ad SS. Patrum exemplum reflorescat et uberes fructus pietatis et sanctitatis et zeli apostolici in omnibus ritibus orientalibus producat.

AEMILIUS HERMAN S. I.

DE STATIONE MISSIONALI ET VICARIO COOPERATORI MISSIONALI

Dubium: Praefectus quidam apostolicus, qui omnibus viribus contendit ad ordinandum apostolatum in suo territorio, cuius incolae numquam evangelium hucusque audierunt, petit quo iure regantur stationes missionales, de quibus omnino silet Codex Juris Canonici, et quanam potestate gaudeant vicarii cooperatores missionales.

Responsio: Quo clarius dubium propositum solvere possimus, opportunum ducimus prius agere de stationibus missionalibus et postea de vicariis cooperatoribus.

---

[11] *De potestate dominativa publica in iure canonico.* ACTA CONGRESSUS IURIDICI INTERNATIONALIS, vol. IV, Romae 1937, p. 145-180.

De stationum missionalium erectione et mutationibus.

Praeter divisiones in paroecias vel quasi-paroecias in missionum terris, scilicet in dioecesibus vel quasi-dioecesibus, inveniuntur stationes missionales, quae, saltem ex parte, fines determinatos non habent. Earum rectores nec parochi, nec quasi-parochi sunt dicendi, sed censentur vicarii cooperatores Ordinarii loci, atque, proinde, cum licentia generali ab eodem concessa, omnia, sacrum ministerium spectantia, peragere valide et licite valent. Quae stationes varia nomina sortiuntur ob diversitatem modus ordinandi opus evangelicae praedicationis et etiam ob particularia temporis locique adiuncta. Quibus non obstantibus, possumus generaliter considerare stationes permanentes, in quibus missionarii modo permanenti versantur; et stationes secundarias, in quibus, e contra, transeunter, visitationis causa et per breve, ut plurimum, tempus commorantur.

Haud dubium est, quin Ordinarius huiusmodi stationes erigere, dividere, dismembrare possit atque in easdem etiam magni momenti inducere mutationes, audito prius voto Consiliariorum missionis (can. 302) vel Consultorum dioecesis (can. 1532 § 3), cum agatur certo certius de rebus gravioris momenti [1], directe curam animarum respicientibus. « Ad ipsum (Superiorem ecclesiasticum) spectat missionales stationes constituere... sacella et ecclesias erigere » [2].

Nunc vero in dividendis vel dismembrandis huiusmodi stationibus necesse est iuris sollemnia adhibeantur? Cum obligatio servandi sollemnia iuris nullo modo sit pertrahenda ad similes causas, scilicet ad stationes missionales, quae haberi nequeant ut beneficia (can. 1409), Superior ecclesiasticus libere illas dividere et dismembrare potest, legitimis causis iurisque solemniis omnino praetermissis. Sed valde opportunum est et quam maxime ducit ad rectam apostolatus ordinationem, ut aliquo documento, scriptis dato, declaretur quale territorium vel saltem quales christianitates unaquaeque statio missionalis comprehendat.

Uniones vero, translationes, divisiones, dismembrationes id genus stationum, sicut et paroeciarum et quasi-paroeciarum, Superior ecclesiasticus ne faciat nisi auditis Consiliariis dioecesanis (can. 427), vel Consultoribus missionis (can. 302) et iis, si qui sint, quorum intersit, praesertim rectoribus ecclesiarum (can. 1428), quae intra fines reperiuntur. A fortiori audiendus est rector ecclesiae dividendae vel uniendae (can. 1427 § 1). Sed etiam in his omnibus audiendus est Superior religiosus, quia facile oriri possunt nova onera pro eius Instituto religioso, et praesertim si agatur de statio-

---

[1] Quae verba non quidem in can. 1532 § 3, sed in indice, sub voce « Capitulum » leguntur. Can. 423 Consultores dioecesani substituunt capitulum canonicorum.

[2] S. C. de Prop. Fide, Instructio, 8 decembris 1920. Sylloge P. F., n. 148.

nibus permanentibus, licet auctoritate et expensis Ordinarii erectis, sed ab initio fundationis a missionariis illius Instituti administratis. Hoc in casu ipsi Instituto concreditae habentur [3], non certo in perpetuum.

Novae stationi sic per divisionem erectae, pro lubitu praeficere potest Superior ecclesiasticus missionarios Instituti vel etiam clericos indigenas aut alios clericos, si quos habeat. Adversus decretum Ordinarii datur in devolutivo tantum recursus ad Sanctam Sedem (can. 1428) [4].

De earum regimine.

Stationes ergo missionales aestimandae sunt ad instar quasi-paroeciae, qua de causa ad habendam stationem missionalem requiritur territorium aliquod, fideles, sacerdos, cui sit commissa cura animarum. Ex can. 216 § 1 requiritur pro paroecia etiam ecclesia, licet non sit propria et peculiaris. Stationi missionali sufficit oratorium saltem semi-publicum vel simplex capella vel locus, decenter instructus secundum locorum adiuncta, in quo functiones sacrae peragi queant.

Territorium generatim non est limitibus definitum, raro autem habetur ecclesia vel oratorium, saltem benedictum, et fideles aliquando nulli, saepe paucissimi. Sacerdos non semper residet permanenter apud stationem missionalem, quam interdum invisat.

Si stationi misisonali sit ecclesia vel oratorium publicum (can. 479), tunc missionarius, ab Ordinario nominatus, habendus est ut rector ecclesiae cum potetsate ordinaria non iurisdictionali, sed potius oeconomica (can. 479-486). Si in statione missionali non habetur ecclesia vel oratorium publicum sed tantum oratorium semipublicum vel capella, tunc missionarius titularis nulla potestate ordinaria gaudet, sed omnem potestatem iurisdictionis et oeconomicae in statione missionali atque functiones quascumque pastorales exercet ex potestate delegata ab Ordinario loci eiusque nomine. Quam potestatem Ordinarius potest pro arbitrio augere vel restringere sed ad zelum missionariorum fovendum opportunius est ut facultates et functiones titularium missionum, qui in statione officium quasi pastorale exercent, iisdem fere limitibus firme terminentur ac potestas ordinaria parochi vel quasi-parochi iure communi statuta. Quare normae praecipuae, quae in cann. 451-470 continentur pro parochis, congrua congruis referendo, titulari quoque stationi missionali applicari possunt, tantummodo ut normae directivae, exceptis praescriptis procedentibus ex natura rei, utputa de libris

[3] Statutum Miss. pro O. M. I., n. 6.

[4] Leo XIII, Const. « Romanos Pontifices », 8 maii 1888, Collectanea P. F., n. 1552, pag. 149.

parochialibus rite custodiendis, vel ex obligatione apostolatus vel ex statutis Synodi vel ex documentis S. C. de Prop. Fide.

Obligationes vero missionarii titularis stationis alia prorsus ratione dimetiendae sunt. Secundum can. 464 § 1 parochus et quasi-parochus ex officio et ex iustitia tenentur curam animarum exercere in paroecianos, qui non sint legitime exempti. Missionarius titularis hoc onere adstringitur solum ex caritate et obedientia et aliquando vi iuramenti inserviendi missionibus. Quapropter nulla stricta obligatione tenetur pro populo Missam applicandi.

Cum vero rector stationis missionalis sit etiam vicarius cooperator missionalis, eius potestas nec non obligationes alia mensura dimetiendae sunt, de qua postea.

Sicut paroecias et quasi-paroecias etiam stationes missionales S. C. de Prop. Fide alicui domui religiosae pleno vel semipleno iure unit, sicut fas est eruere ex decreto lato in favorem Patrum e Congregatione Sacerdotum a S. Corde Iesu [5].

---

[5] En decretum:

Prot. N. 2133/51

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

DECRETUM

Cum Patres e Congregatione Sacerdotum a Sacro Corde Jesu in Statione Missionali Sancti Gabrielis apud Stanleyville, quae urbs intra Vicariatus Apostolici Stanleypolitani fines sita est, laetos apostolatus fructus, praesertim postremis his temporibus, comparassent atque ab hoc Sacro Consilio Christiano Propagando Nomini petiissent, ut eadem Statio sibi peculiari jure committeretur, hoc idem Sacrum Consilium, favorabili Exc.mi ac Rev.mi P. D.ni Vicarii Apostolici Stanleypolitani sententia accepta, oblatis precibus adnuendum censuit, et circa rem, quae sequuntur, decrevit:

1) Statio missionalis S. Gabrielis intelligenda est ad instar quasi-paroeciae, et, qua talis, unitur pleno jure et ad nutum S. Sedis domui religiosae Congregationis Sacerdotum a Sacro Corde Jesu, ad quam domum erigendam hoc Decreto Beneplacitum Apostolicum conceditur ad normam can. 497, 1 C. J. C.;

2) Stationis bona ad praelaudatam Congregationem Sacerdotum a Sacro Corde Jesu deinceps pertinebunt, ea tamen conditione, ut bona ecclesiae Stationis, ad instar quasi-paroeciae sumptae, distincta maneant a ceteris bonis, quae domui religiosae pertinent, juxta inventarium, quam citius redigendum et tum a Vicario Apostolico tum a Superiore religioso subsignandum;

3) Statio, de qua sermo fit, regatur et administretur, quoad curam animarum, sicuti caeterae quasi-paroeciae in Vicariatibus Apostolicis passim reguntur et administrantur;

4) Congruus religiosorum numerus curae animarum in eadem Statione addicatur;

5) Bona Stationis, quae memoratae Congregationi Sacerdotum a Sacro Corde Jesu cedent, semper adhibeantur in operibus, quae missionum fini respondeant.

Datum ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 8 Junii mensis anno Domini 1951.

Petrus Card. Fumasoni Biondi, *Praef.*
✠ Celsus Costantini, archiep. tit. Theod.,
Secretarius

DE POTESTATE VICARII COOPERATORIS MISSIONALIS.

Supra locuti sumus de rectore stationis missionalis qua rectore ecclesiae, nunc qua vicario cooperatori missionali.

Cum Codex de missionario, qua rectore stationis missionalis omnino sileat, Instructio S. C. de Prop. Fide, diei 25 iulii 1920 lacunam canonum complens statuit quod in locis ubi quasi-paroeciae constitutae non sunt, missionarii censendi sunt cooperatores Vicarii vel Praefecti Apostolici, atque proinde, cum licentia generali ab Ordinario concessa valide et licite adsistunt matrimoniis [6].

Ergo, ubi paroeciae vel quasi-paroeciae nondum sunt erectae, missionarii, sacrum ministerium exercentes, nuncupantur Rectores stationis missionalis, qui insuper, habendi sunt vicarii cooperatores Ordinarii loci ad exercenda quaevis munia pastoralia [7]. Etenim in citata Instructione, tota missio comparatur paroeciae, in quam, praeter Parochum, scilicet Ordinarium missionis, in auxilium vocati sunt alii sacerdotes, qui secundum can. 476 Vicarii cooperatores vocantur [8].

Praeprimis animadvertenda est differentia inter figuram iuridicam vicarii cooperatoris communis, de quo in can. 476, et illam vicarii cooperatoris missionalis, de quo agit supradicta Instructio. Heic enim agitur de territorio amplissimo et pluries etiam de tota quasi-dioecesi, in qua vicarii cooperatores missionales non una cum parocho vitam agunt vel facile hunc adire queunt; sed generatim in dissitis locis ministerium exercent, officia divina celebrant, sacramenta fidelibus administrant, et insuper non solum errantes prudenter corrigere debent (can. 467 § 1), sed etiam operam im-

---

[6] Sylloge P. F., n. 82, p. 141. Haec Instructio circa erectionem quasi-paroeciarum in quasi-dioecesibus dat normas non solum interpretativas sed praesertim exsecutivas et completivas.

[7] Decretum 107 Primi Concilii Plenarii Sinensis idem dicit.

[8] Codex quinque species vicariorum paroecialium distinguit:

1. Vicarius perpetuus actualis, cui universa cura animarum competit in paroecia, iurisdictione ordinaria gaudet et loco paroeciae habitualis, quae est persona moralis, constituitur (can. 471).

2. Vicarius oeconomus, tempore vacantis paroeciae constituendus, ordinariam, officio a iure adnexam, iurisdictionem habet (can. 472-473).

3. Vicarius substitutus, tempore quo parochus a sua paroecia abest constituitur et videtur officio proprie dicto gaudere (can. 474), ac proinde potestate ordinaria pollet, si ultra hebdomadam constitutus est.

4. Vicarius adiutor, qui parocho inhabili vel fere inhabili datur (can. 475).

5. Vicarius cooperator, qui parocho nimio labore gravato, ut ei auxilium praestet, datur (can. 476).

Omnia praescripta canonum hac in re facile in praxim deduci possunt si agatur de paroecia et quasi-paroecia. Ad normam can. 159 cuiuslibet officii provisio scripto semper consignetur, ad quamcumque controversiam circa legitimitatem actorum praecavendam.

pendere ad acatholicos convertendos: inibi fere nulla habetur ordinatio vitae catholicae.

Quis ergo audet illis tribuere potestatem inferiorem potestate ordinaria parochorum vel quasi-parochorum? Et illi censendi sunt reapse pastores curam animarum exercentes, pleniore iure quam ceteri parochi. Nomen vicariorum cooperatorum illis tributum non indigitat omnino idem munus, licet Instructio S. C. de Prop. Fide mentionem faciat can. 476. Quae animadversio ad determinandam potestatem vicariorum cooperatorum missionalium prae oculis habenda est, ut praescripta canonum intelligat iurista et peculiaria adiuncta rerum ne despiciat.

Ut mihi videtur, munus vicarii cooperatoris missionalis relationem dicit sive ad munus vicarii adiutoris, in omnibus vicem parochi supplentis ad normam can. 475 § 2, sive ad illud vicarii cooperatoris communis, de quo in can. 476. Etenim vicarius adiutor supplere potest parochum in omnibus et hoc in casu ei competunt omnia iura et officia parochorum propria, excepta Missae applicatione pro populo, quae parochum gravat. Nunc vero etiam vicarius cooperator missionalis in omnibus debet supplere parochum, scilicet Ordinarium, qui non ob senectutem vel mentis vitium, vel imperitiam, caecitatem sed ob aliam permanentem causam, id est, ob impossibilitatem physicam exercendi ministerium paroeciale in amplissimo territorio, impar est suis muniis rite obeundis (can. 475 §§ 1, 2). Vicarius cooperator missionalis accedit etiam ad vicarium cooperatorem communem eo quod, ut hic, quando scilicet, plena potestate pastorali est munitus eiusque munus, proinde nec peculiaribus missionis statutis nec Ordinarii litteris quovis modo restringitur, etiam ille debet ratione officii parochi Praesulis vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta Missae applicatione.

Ergo vicarius cooperator missionalis in omnibus supplens vicem parochi Praesulis, qui impar est suis muniis rite obeundis ob causam permanentem scilicet ob impossibilitatem physicam exercendi ministerium paroeciale in suo amplissimo territorio (can. 475) vel propter populi multitudinem catholici et praesertim acatholici et ob alias causas, ut puta ob magnam territorii extensionem, carentiam ordinationis vitae christianae, solus convenientem curam gerere nequit (can. 476), iisdem iuribus iisdemque officiis adstringi debet ac parochus, excepta Missae pro populo applicatione (can. 475-476). Qua de causa, si conceditur potestas ordinaria vicario adiutori, denegari nequit vicario cooperatori missionali, qui est distinguendus a vicario cooperatori communi ob potiora iura et obligationes. Heic can. 451 § 2, n. 2 apte applicatur.

Libenter tamen concedimus tribuendam esse solum delegatam potestatem ad universitatem negotiorum vicario adiutori, constituto

sine Ordinarii licentia pro tempore infra hebdomadam vel ad parochum supplendum tantum ex parte; atque etiam vicario cooperatori communi vel missionali, qui, cum praeditus sit potestate limitata sive pro toto territorio sive pro eius parte, iuribus et obligationibus pollet, quae ex statutis dioecesanis et ex litteris seu commissione Ordinarii desumuntur.

ARGUMENTORUM EXPOSITIO.

Ex dictis liquet vicario cooperatori missionali, in omnibus parochum supplenti, tribuendam esse potestatem ordinariam. Eandem potestatem ordinariam plures iuristae tribuunt etiam vicario cooperatori communi, in omnibus parochum supplenti [9].

En prius argumentum. Potestas ordinaria ea est, quae ipso iure adnexa est officio (can. 197 § 1). Munus vicarii cooperatoris communis est habendum officium stricte sumptum, nam ad normam can. 145 § 1: a) iure canonico est constitutum; b) stabilitate obiectiva praeditum [10]; c) secundum praescripta can. 476 conferendum; d) et certo secumfert participationem potestatis iurisdictionis.

Quoad quartum dicimus cum cl. Maroto sufficere ad officium stricte dictum constituendum, ut munus potestatem aliquam, etsi prorsus indeterminatam, sibi adnexam habeat et multo pluribus indigeat facultatibus ex delegatione provenientibus [11]. Sic, v. gr., quoad Episcopum Coadiutorem (can. 351), Delegatum Ap. (can. 267 § 2), Canonicos (can. 391), Vicarium foraneum (can. 447-449), aliosque vicarios paroeciales, quibus, procul dubio vero officio ac proinde potestate ordinaria decoratis, non adscribuntur nisi iura et officia in genere, praetermissa singularum facultatum specificatione. .

« Instant tamen adversarii, Codice expresse tribui aliis vicariis paroecialibus iura, ex quibus eruere licet naturam et ambitum potestatis, cuius participes efficiuntur, dum vicariis cooperatoribus nullum ius conceditur, sed obligatio iniungitur ratione officii vicem parochi supplendi eumque adiuvandi in universo paroeciali ministerio. Ita sane, sed officium et ius sunt correlativa, ideoque si vicario cooperatori officium incumbit vicem parochi supplendi, eidem competit ius idipsum praestandi, ex quo colligentur facultates requisitae ad officium rite explendum » [12].

---

[9] EGUREN I. A., De condicione iuridica missionarii, in: Studia missionalia, 5 (1949), p. 136 ss.

[10] Stabilitas seu perpetuitas obiectiva in eo consistit quod officium ubi constitutum est, existentiam habet stabilem et independentem tum ab auctoritate com petente tum a titulari, quo mortuo, officium vacat et exigit successorem.

[11] PH. MAROTO, Institutiones I. C., I Romae 1921, p. 832-833.

[12] EUGEREN, l. c., pp. 140-141. Qui haec addit: « Sententiae robur firmum adiicitur ratione ex can. 477 § 2 deducta, qua vicarii cooperatoris officio agnoscitur

Optime asserit cl. Maroto, quod in iure Codicis omnes, qui in iure appellantur Vicarii, obtineant necesse est aliquod munus, cui potestas quaedam ordinaria vicaria sit ex iure adnexa saltem in genere ad coadiuvandum, substituendum, etc... alium principalem, licet facultates peculiares deinde sint determinandae a Superiore ecclesiastico vel conferendae ex delegatione; ita fere evenit in cooperatoribus parochorum [13].

Nunc expendenda sunt duo responsa data a Pontificia Commissione ad Codicem interpretandum.

Responsum circa can. 1096 § 1: hoc canone vicarii cooperatores delegationem generalem accipere valent assistendi matrimoniis. Secundum responsum diei 28 decembris 1927 vicarii cooperatores possunt alium sacerdotem subdelegare ad assistendum matrimonio determinato. « Ut huic difficultati facerent satis, auctores in castris nostris decertantes distinctionem adhibebant desumptam ex duplici figura iuridica, quae exhibetur can. 476 § 6: Exceptio can. 1096 § 1, aiebant, in commodum vicarii cooperatoris eis solis est applicanda, qui iure peculiari litteris Ordinarii vel ipsius parochi commissione potestatem restrictam assequebantur; alii, vero, qui plena potestate paroeciali praediti erant, non indigebant tali delegatione generali siquidem potestate ordinaria gaudebant assistendi matrimoniis » [14].

Responsum circa can. 1095: « An vicarius cooperatoris ratione officii, de quo in can. 476 § 6, matrimoniis valide assistere possit. Resp.: Negative » [15].

Secundum cl. Sartori, hoc responsum sensu negativo definit vexatam quaestionem utrum vicarii cooperatoris officio a iure po-

---

adnecti posse beneficium; porro beneficium necessario supponit officium strictum (can. 1409) ».

[13] Ph. Maroto, l. c., n. 702, C. d., p. 836. - Insuper Eguren aliud argumentum desumit ex responsione Pont. Comm. Codicis interpretis circa can. 131 § 3, quo vicarii cooperatores religiosi ad normam can. 476 § 6 vicem parochi supplentes eumque adiuvantes in universo paroeciali ministerio, obligantur interesse conventibus de re morali et liturgica, utputa curam animarum habentes. Nunc vero, qui curam animarum exercent, verum officium obtinent, potestate ordinaria praeditum. Quemadmodum curae animarum, quam parochus ex officio exercere tenetur (can. 464 § 1) inhaerent omnes obligationes et facultates necessariae vel opportunae ab bonum fidelium efficaciter promovendum, sic quoque Vicarius cooperator ex cura animarum ratione officii sibi obvenienti sortitur facultates quibus idoneus efficitur muneri pastorali rite obeundo (cfr. l. c., pp. 142-143).

[14] Eguren I. A., l. c., p. 143. Ita Card. I. Bruno in opere suo: « C. I. C. interpretationes authenticae, I Roma 1935 », in Indice alphabetico-analytico, p. 227, relationem dicens ad responsum, de quo supra, proprio marte haec adiecit: « Si (vic. cooperator) parochum adiuvet in universo paroeciali ministerio, potest determinato sacerdoti licentiam dare assistendi determinato matrimonio, can. 1096 ». Cfr. Sartori C., Enchiridion canonicum, Roma 1947, p. 217.

[15] Sartori C., l. c., p. 216.

testas annectatur an omnis ex delegatione (sive a iure, sive ab homine, sive generali, sive particulari) provenire debeat [16]. Responsum vero non videtur obsistere nostrae sententiae et prorsus congruit cum Codicis praescriptis, can. 462, 4° et 1096, in quibus inter functiones parocho reservatas adnumerantur matrimonii assistentia et impertitio nuptialis benedictionis et consequenter ordinaria vicarii cooperatoris potestas restringitur, sed non negatur. Immo haec restrictio est secundum rectum regimen ipsius paroeciae. Vicarius cooperator est pastor subsidiarius et subest parochi directioni et vigilantiae (can. 476 § 7), ita ut onera, etiam ardua, a parocho demandata accipere eiusque sub dependentia implere teneatur. In promptu est ergo statutis peculiaribus facultates vicarii cooperatoris restringere, praesertim quoad matrimoniorum assistentiam. Ablata dependentia ac subiectione id genus, multiplicarentur Rectores in solidum contra expressum can. 460 § 2 praescriptum [17]. Pro suis territoriis vero S. C. de Prop. Fide in Instructione, saepius citata, expresse statuit ut vicario cooperatori missionali tribuatur ab Ordinario licentia generalis valide et licite matrimoniis assistendi.

Consectaria iuris.

Supra statuimus omnes vicarios cooperatores missionales, plena potestate paroeciali praeditos, gaudere potestate ordinaria vicaria. Cum vero omnes rectores stationum missionalium vel ceteri missionarii, eadem plena potestate paroeciali exornati, habendi sint vicarii cooperatores missionales, etiam his potestas ordinaria vicaria est tribuenda.

Quo principio posito, expendamus necesse est aliquas quaestiones particulares.

a) Circa facultatem audiendi confessiones.

Vicarii cooperatores missionales atque missionarii, qui curam animarum universalem ratione officii exercere tenentur, potiuntur ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas (cfr. can. 873 § 1), ubique terrarum in commodum subditorum (can. 881 § 2, can. 201 § 1). Potestas enim clavium pars est praecipua ministerii pastoralis, sine qua aegre concipitur efficax cura animarum [18].

---

[16] Bockey F. X., De potestate Vicarii Cooperatoris, Roma 1939, pp. 59-63.

[17] Card. P. Gasparri in opere: « Tractatus Canonicus de Matrimonio, II Roma 1932, p. 934-935 » nostrae sententiae favebat sed unum post annum, scilicet die 18 septembris 1933, ceu Praeses Comm. Pontificiae authentica declaratione negavit vicarium cooperatorem, cui nulla iurium restrictio iniuncta sit, ratione officii solius valide et licite matrimoniis assistere.

[18] Primum Concilium Sinense, art. 327, decrevit: « In missionibus, ubi neque paroeciae neque quasi-paroeciae constitutae sunt, sacerdotes nonnisi delegata iurisdictione gaudent (ad excipiendas confessiones). Hoc in casu et in art. 27 et 69

b) Circa potestatem matrimoniis assistendi.

Ex iis, quae supra diximus, patet vicarium cooperatorem missionalem, rectorem stationis missionalis, missionarium quemlibet, deputatum ad plenam et universalem curam animarum exercendam, ex momento acceptae nominationis, quamvis nondum obtinuerint facultatum notam, valide et licite assistere matrimoniis posse, quae in proprio territorio celebrantur. In ceteris stationibus, observanda sunt statuta peculiaria, quae facultatis validum usum vel ad universam quasi-dioecesim vel dioecesim extendere possunt vel restringere ad stationem, cui addictus sit. Saepe datur hoc principium: valide ubique exercetur iurisdictio atque etiam licite solum in proprio territorio. Bonum concordiae enim et pacis postulat ut in aliena statione quis non benedicat nuptiis nisi de licentia saltem rationabiliter praesumpta pastoris loci, quo initur contractus matrimonialis [19].

c) Circa facultatem dispensandi ad normam canonum 1044 et 1045, scilicet urgente mortis periculo et casu perplexo.

Vi analogiae iuris (can. 20), facultas can. 1044 tribuenda est vicario cooperatori missionali, rectori stationis missionalis et missionario, de quibus supra, non quidem a iure delegata sed, cum omnes stricto officio sint praediti, ipso iure eorum muneri est adnexa scilicet ordinaria. Idem omnino est dicendum de casu perplexo seu quoties impedimentum detegatur, cum omnia parata sunt ad nuptias (can. 1045) [20].

d) De facultate dispensandi ab interpellatione impossibili vel inutili.

---

iidem Patres sententiis, quae a gravibus doctoribus reiciebantur, adhaeserunt. Agitur de iure particulari, quod sequi tenentur omnes, pro quibus datum est.

[19] Missionarius, qui delegatione generali assistendi matrimoniis munitus est, valet alium sacerdotem determinatum subdelegare ad assistendum matrimonio determinato; sed nequit huic sacerdoti sic subdelegato licentiam dare alium sacerdotem determinatum eodem matrimonio. Cfr. Sartori C., l. c., p. 217.

[20] Sartori C., l. c., pp. 201-203. Itaque in casu perplexo non gaudent facultate ordinaria dispensandi ab impedimentis natura sua et facto publicis. In casu tamen gravissimae necessitatis si nec Sancta Sedes nec missionis Ordinarius adiri posset, non est improbandus missionarius, qui ob epikeiam vel suppositam cessationem, auderet publicum impedimentum dispensare vel declarare Ecclesiam, attentis circumstantiis, legem suam non urgere (Cfr. F. M. Cappello, De Matrimonio, Torino 1947, p. 237, 4). Pariter a potestate ordinaria Praesulis et missionarii, iuxta sententiam longe probabiliorem, excipitur facultas dispensandi in casu perplexo a forma iuridica matrimonii, nam de ea tacet Codex nec casus perplexus hac in re aequiparari potest mortis periculo (Cappello, ib., p. 234 bis). Sinarum tamen Ordinarii ex potestate a S. Sedis delegata, quam missionum rectoribus subdelegare possunt, in casibus verae necessitatis, dispensare valent a forma substantiali matrimonii (cfr. Sylloge P. F., n. 12. Cfr. Payen G., De Matrimonio, II, Zi ka-wei, 1936, pp. 243-246, qui de indulto fuse agit.

Canone 1125 Constitutio « *Populis* », a Gregorio XIII lata die 25 ianuarii 1585 in commodum utriusque Indiae, extenditur ad omnes regiones. Secundum constitutionem citatam ab interpellatione impossibili aut inutili dispensandi potestate ordinaria ornantur Ordinarii locorum, confessarii approbati Societatis Iesu et parochi, quibus merito aequiparantur missionarii, qui universalem curam animarum explent et suam iurisdictionem exercere valent in commodum subditorum suorum, ubique commorantium necnon in bonum omnium in suo territorio actu versantium. Immo, cum sit potestas ordinaria, delegari potest [21].

De domicilio vel quasi-domicilio in statione missionali.

Cum canon 94 distinguat solum domicilium seu quasi-domicilium dioecesanum vel paroeciale, in statione missionali, nondum canonice divisa, adquiritur tantum domicilium diocesanum et fideles ergo sortiuntur proprium Ordinarium et non rectorem proprium. Sed, posito principio quod ipsae stationes missionales, praesertim principales, ad instar quasi-paroeciae intelligantur, facile deduci potest haec norma practica: quivis missionis fidelis fit vel desinit esse missionarii subditus sub eisdem condicionibus, quae in iure communi iniunguntur ut idem fidelis domicilium vel quasi-domicilium paroeciale in statione missionali illius rectoris acquireret vel amitteret, si haec statio esset paroecia vel quasi-paroecia [22].

Qua norma, etiam in missione nondum perfecte divisa facile cognosci potest immediatus fidelium pastor, cui quisque subiciatur. Cum vero missio quaedam, nondum divisa, aliquid imperfectum adhuc praeseferat, omnino convenit ut ad animarum bonum saltem Rectores stationum missionalium principalium amplioribus ornentur facultatibus pro universo territorio, quibus reliquos missionarios adiuvare et supplere valeant praesertim in munere poenitentiali et matrimoniali. Unde norma, supra statuta, mitigatur praxi, de qua iam antea locuti sumus, secundum quam missionarii, universali animarum curae ad longius breviusque tempus deputati, licentiam generalem ab Ordinario accipiant valide ubique missionis matrimoniis assistendi, licite vero in aliena statione nisi urgeat necessitas ob proprii pastoris mortem, morbum, absentiam, etc. vel cum adsit venia eiusdem expressa vel saltem interpretativa, quae extendi potest etiam ad matrimonia non determinata [23].

[21] Payen G., l. c., n. 2409. Facultas ergo n. 25 formulae maioris non est nisi applicatio practica constitutionis; unde etsi Praesul hanc facultatem eis renuerit, missionarii ea uti valent intra ambitum condicionum praefinitarum utpote ipso iure eiusdem participes.

[22] C. R. Jarré, Quomodo christiani fiunt subditi missionariorum, in: Apostolicum, 2 (1931), pp. 70-72.

[23] Payen G., Monita Nankinenssa, Zi ka-wei 1933, pp. 88-89; 1011-1014.

Quae praxis innuitur can. 740, quod decernit, ubi paroeciae aut quasi-paroeciae nondum sint constitutae, rationum peculiarium [24] rationem habendam esse ut constet cuinam sacerdoti, praeter Ordinarium, in universo territorio vel in eius parte ius insit baptizandi. Loco verbi « baptizandi », si quis ponat: « ministerium sacrum exercendi », normam habebit qua iuris silentium in multis institutis iuridicis supplere valebit [25].

Nunc quaeritur: Facultas dispensandi a matrimonialibus impedimentis, sive ex can. 1045 sive ex facultate 22 formulae maioris delegata eo patet quo se protendit potestas assistendi matrimoniis?

Responsio ad quaestionem propositam eadem esse debet ac responsio data ad dubium utrum Ordinarii loci et parochi etiam peregrinos dispensare valeant. Sententia affirmans est communior, unde rectores stationis missionalis valide utuntur sua iurisdictione non solum in bonum fidelium sibi subditorum seu loci incolarum, advenarum et vagorum (can. 91 et 94), sed etiam in bonum peregrinorum [26].

De bonis temporalibus administrandis.

Stationes missionales haberi debent ut priora elementa illius plenae ordinationis disciplinae ecclesiasticae, ad quam socia opera omnium missionariorum tendere debent. Quapropter etiam bona temporalia valde opportunum, immo, necessarium est ut administrentur secundum normas a sacris canonibus statutas pro territoriis, in quibus diversae personae morales, capaces possidendi, plene ac perfecte inter se distinctae manent.

Quo principio statuto, etiam in missionibus Ordinarius loci bona temporalia uniuscuiusque stationis missionalis vel christianitatis nullo modo coacervare debet cum ceteris missionis bonis ac proinde directam administrationem ne suscipiat; sed potius unicuique rectori stationis missionalis, praesertim principalis, eandem prorsus potestatem tribuat ac a iure (cfr. can. 463) concessam parochis. Vigilet tantum ut rector bona temporalia stationis administret secundum normas statutas a codice vel praescriptas iure particulari.

Liquido patet heic agi solum de bonis temporalibus ecclesiasticis scilicet de illis bonis quae vel ad Ecclesiam universalem et ad Apostolicam Sedem vel ad aliam in Ecclesia personam moralem

---

[24] Canon loquitur etiam de receptis consuetudinibus, quae in amplioribus communitatibus, cum dubiis plurimis ansam praebeant, fere nullum momentum practice obtinent.

[25] Eguren I. A., l, c., p. 162.

[26] Cicognani H. I. - Staffa D., Commentarium ad librum primum C. I. C. II, Roma 1942, pp. 608-611.

pertineant (can. 1497 § 1). Quapropter bona stricte ecclesiastica unice pertinent ad ecclesias singulas, ad normam can. 1161 et 1165 § 1, divino cultui in perpetuum dicatas (cfr. can. 99) vel ad personas morales ab ecclesiastica auctoritate in iuridicam personam erectas (can. 1495 § 2). Bona pertinentia ad personas physicas non sunt dicenda stricte ecclesiastica, nisi ad personam physicam pertineant solum ut coram lege civili serventur bona.

Dioceses, quasi-dioceses, paroeciae et quasi-paroeciae, utpote personae morales non collegiales et Instituta religiosa possidere queunt bona, sed christianitates singulae ipsique districtus territorii, ubi paroeciae non sunt constitutae, non videntur esse personae morales ac proinde capaces possidendi bona. Etenim can. 100 § 1 explicite affirmat esse personas morales, quae moralis personae rationem habeant « sive ex ipso iuris praescripto sive ex specialis competentis Superioris ecclesiastici concessione data per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum ». Sed nihil prohibet quominus Ordinarius ipsam stationem missionalem vel districtum ut personam moralem constituat aut piam associationem, in personam moralem canonice erectam, in iisdem fundet, subiectum capax bona possidendi ecclesiastica.

Bona Stationis missionalis, personalitate iuridica carentis, immediate administrare potest Ordinarius loci ac proinde ius ei competit modum definiendi, quo bona sint impendenda, imo avocandi ad se horum bonorum totalem vel partialem distributionem. Quae praxis vero, licet sit secundum summum ius, non est commendanda et Ordinarius loci, quo facilius viam sternat ad plenam dioecesis vel quasi-diocesis ordinationem , principium a nobis statutum adhibeat et solum ita vigilet administrationi illorum bonorum ut administratio sit rite composita ac prudens (can. 1519 § 2), accuratum ac distinctum inventarium bonorum redigatur (can. 1522, 2) et exigat, singulis annis, rationem administrationis (can. 1525).

Xaverius Paventi

RECURSUS IN CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

QUAESTIONIS ENUCLEATIO

1. - Uti notum est, Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos, die 25 iun. 1932 [1] sequentia edidit Responsa: D. I. An separatio coniugum ob causas, de quibus in canone 1131 § 1, forma administrativa decernenda sit. II An in causis separationis coniugum, de quibus in canone 1131 § 1, in secundo gradu eadem servanda sit forma ac in primo gradu.

R. Ad I. *Affirmative*, nisi ab Ordinario aliter statuatur ex officio vel ad instantiam partium.

Ad II. *Affirmative.*

Horum Responsorum valorem nemo non videt. Asseritur in prima dubii parte, causam separationis coniugum ob motiva de quibus in canone 1131 § 1, *regulariter* forma administrativa, non autem iudiciali, esse dirimendam. Si autem in primo gradu causa separationis disceptata ac soluta fuerit forma administrativa, locus non est appellationi proprie dictae, i. e. appellationi iudiciali, sed recursui, i. e. appellationi extraiudiciali, et observandae sunt leges propriae recursus [2]. Igitur recursus fit ad S. Congregationem de Sacramentis.

Verum sponte surgit novum dubium: quinam effectus huius recursus sint. Cum appellationis effectus sint suspensivus et devolutivus, prout in iure decernitur (cfr. can. 1889), eadem quaestio de effectibus aut suspensivo aut devolutivo tantum recursus contra Ordinariorum Decreta in causis separationis haberi necesse est. Nam via administrativa gradus quoque supponit, qui iuxta responsum authenticum servari debent, ita ut causa separationis in primo gradu forma administrativa tractata, si per recursum ad gradum superiorem deferatur, in eo etiam forma administrativa tractari oporteat. At suntne leges huius recursus eaedem ac appellationis iudicialis?

2. - Casus concretus ita fingi potest. Cum causa separationis ob rationes de quibus in can. 1131, § 1 in Curia dioecesana introducta sit, et Ordinarius eandem, sine partium oppositione, forma administrativa tractaverit, Decretum latum fuit, quo ille concessit separationem ad tempus ex. gr. trium annorum, vel etiam in per-

[1] AAS, 1932, p. 284.

[2] Cc. 1601, 1880, 6°; cfr. CAPPELLO, *Periodica de re morali, canonica, liturgica*, 1932, p. 288.

petuum. Coniux autem, qui eo decreto gravatum se putat recursum ad S. Congregationem de Sacramentis interponit. Aliquando in lege civili vr. gr. hispanica, sententia canonica sive nullitatis matrimonii sive separationis coniugum, quae firma sit, inscribi debet in Regestu civili, et Tribunali ordinario (civili) praesentari ad illius exsecutionem quoad effectus (mere) civiles, (Cod. civ. his. art. 82). Quaeri igitur potest, an Decretum Ordinarii exsecutioni mandari queat, non obstante recursu, ita ut in foro canonico ius consortium vitae solvendi habeatur, aliaque iura in sententia decisa, vel in iure communi disposita, imo et ius praesentandi Decretum tribunali civili ad effectus mere civiles eiusdem obtinendos.

3. - Ut rei difficultas magis in propatulo ponatur sciendum est, causam separationis coniugum, si *iudiciali modo* in primo gradu cognita ac definita fuerit, appellatione interposita, secundum normas processuales stricti iudicii tractari oportere. Quare appellatio est in suspensivo, firmo praescripto can. 1917 § 2 circa provisoriam exsecutionem sententiae primi gradus. Et etiamsi istae causae cum de statu personarum sint, numquam transeant in rem iudicatam [1], tamen post duplicem conformem, at non prius, sententiae exsecutioni mandantur. Si autem causa *administrativa forma* tractetur ab Ordinario loci, Decretum eius debetne immediate exsecutioni mandari? Ad talem exsecutionem deveniri *debet*, si nulla pars recursum interposuerit; causae enim separationis non habent, sicuti causae de nullitate matrimonii, appellationem necessariam, si sententia est contra vinculum (can. 1986), ideoque recursus pendet a voluntate partium [2]. At casus noster interpositionem recursus prospicit. De effectibus ergo huiusmodi recursus quaestio est: nempe, an sit suspensivus vel devolutivus tantum; an fatalia legis servari debeant in interpositione recursus, adeo ut, iis non servatis, exsecutioni Decreti separationis coniugum deveniri debeat.

* * *

NOTINUM EXPLICATIO.

4. - Ad haec elucidanda, antequam de merito quaestionis dicam, quasdam notiones praemittere praestat. In genere appellatio vel recursus est provocatio ab inferiore iudice vel Praelato ad Superiorem, ratione gravaminis illati vel inferendi. Invaluit in Codice Iuris canonici terminologia quae reservat nomen *appellationis* pro-

---

[1] cfr. cc. 1903, 1989; Motu Proprio de iudiciis pro Ecclesia Orientali, c. 497; Com. C. I. C., 8 apr. 1941.

[2] GASPARRI, De matrimonio, ed. 1932, II, p. 304.

vocationi a sententia vel decreto *iudicis* inferioris, dum *recursus* dicitur provocatio a decreto *Praelati* inferioris. « Si vero, aiebat Alexander III (c. 5, X, (II, 28) a gravamine et ante litis ingressum fuerit appellatum, huiusmodi audiatur appellans, quoniam sacri canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt; nec solent huiusmodi dici *appellationes*, sed *provocationes ad causam* ».

Appellatio extraiudicialis fit ergo ab actibus vel decretis extraiudicialibus, quibus aliquis gravatur. Fieri autem potest dupliciter, nempe: a) a iudice inferiore extraiudicialiter procedente, v. gr. in deferenda tutela, danda possessione, etc., b) a quovis alio, etiam privato, si gravamen inferat, vel illaturus timetur v. gr. in praesentatione, electione, collatione beneficii, aut simili actu iam facto, aut etiam futuro, ne fiat [1]

Nota appellationis vel recursus extraiudicialis est, quod causa seu litis in momento appellationis vel recursus non existit; quin imo per ipsum recursum *causa* sumit initia, et ideo dicitur *provocatio ad causam*. Nec obstat quod causa, antea quandoque, nunc si de Decretis Ordinariorum agitur semper, (can. 1601) deferenda sit ad auctoritatem administrativam. Nam agitur de cognoscenda lite quae intercedit inter auctorem Decreti, vel canonicae provisionis (v. gr. in electione, praesentatione, collatione beneficii, etc.) et illum qui gravatum se putat.

5. - Haec in genere dici possunt; negandum autem non est in iure Codicis casum haberi saltem unum, et est hic noster, in quo recursus naturam appellationis extraiudicialis in sensu vero et proprio induere videtur, i. e. appellationis propriae.

Nam causae de separatione coniugum in antiqua disciplina, iudiciali ordine servato regulariter agebantur; unde cognosci et definiri valebat ad tramitem iuris processualis [2]. Ratio autem erat, quia cum in matrimonio intercedant pleraque iura subiectiva coniugum, et quidem maximi momenti, quae per coniugum separationem laeduntur, ut puta ius ad actus coniugales, ad cohabitationem, etc., eorumdem defensio, quae partibus competit, apte in controversia iudiciali habetur, ideoque per processum instituenda, in quo omnia conceduntur media et remedia singulis partibus quibus sub auctoritate iudicis iura sua prosequantur. Idque in praesenti iure pariter valere debet. Nam si in casibus levioribus pro commoditate partium conceditur causae coniugum separationis tractatio in forma administrativa, at semper praesto esse debet forma iudicialis sive id ab Ordinario statuatur ex officio, sive ad instantiam partium.

---

[1] Schmalzgrueber, *Jus. can. univ.*, t. II, P. 2, tit. 28, n. 4.

[2] Wernz, *Jus decretalium*, IV, n. 714; Instr. Austr., § 240.

Simplex autem mutatio formae ad utilitatem naturam litis mutare non potest. Ideoque remedia quae in iure statuuntur contra sententiam iudicialem, etiam in via administrativa concedi debent sub forma recursus seu appellationis extraiudicialis. Quare quorumdam auctorum opinionem [1], qui illam appellationem extraiudicialem in iure Codicis abolitam esse censent, approbari posse non videtur.

6. - Remedia iuris alia sunt devolutiva, alia suspensiva. *Devolutiva* sunt ea quae cognitionem causae ad superiorem auctoritatem vel iudicem deferunt. *Suspensiva*, quae iurisdictionem inferioris in causa suspendunt.

Appellatio iudicialis aut recursus extraiudicialis possunt habere tum effectum suspensivum, tum devolutivum tantum, tum et suspensivum et devolutivum. Effectus *suspensivus* appellationis iudicialis describitur in can. 1889, ubi habetur: « Appellatio in suspensivo exsecutionem appellatae sententiae suspendit ac propterea in suo robore permanet principium: « lite pendente nihil innovetur ». Sed completius antiqui auctores, ut Panormitanus: « Effectus suspensionis est triplex: suspendit pronuntiatum, non vero extinguit, et iurisdictionem iudicis quantum ad illam causam, et praesumptionem quae erat pro sententia ».

Effectus *devolutivus* consistit in eo quod tota causa devolvatur ad iudicem superiorem, ita ut is non solum de iustitia appellationis cognoscere valeat, sed etiam, hac probata, causam principalem examinare eamque sententialiter definire possit. Seu, ut aiebat *Lega*, « iudici ad quem, devolvitur non tantum cognitio appellationis, nempe *an bene appellatum sit*, sed etiam meritum causae seu *an bene iudicatum sit* » [2].

Iam vero omnis appellatio secum fert effectum *devolutivum*. Et quidem in appellatione iudiciali « effectus devolutivus disiungi non potest ab appellatione, utpote quae est provocatio ad iudicem superiorem qui, re non cognita, nil edicere valet. Quare, deficiente effectu devolutivo, appellatio ne intelligi quidem potest, consistit vero *recursu* ad principem cuius est assumere illam quam vult negotii cognitionem » [3]

Ex modo transcriptis verbis sequi videtur in recursu extraiudiciali effectum *devolutivum* deficere posse eo sensu, nempe, quod superior postquam viderit *an bene appellatum sit*, de merito causae abstineat, vel in totum, ita ut causa retractari non debeat, vel in partem.

---

[1] Roberti, *De processibus* edit. 2, t. 1, p. 120.
[2] Lega, *De iudiciis ecclesiasticis*. I, n. 627.
[3] Lega-Bartoccetti, p. 1006, n. 8.

. . .

De effectu suspensivo in iure decretalium

7. - Effectus *suspensivus* adeo aequus est cum omni appellatione sive iudiciali sive extraiudiciali, ut valeat principium passim ab auctoribus receptum: « appellationem semper habere effectum suspensivum, nisi contrarium statuatur » [1]. Id est, gravamen quod aliquis sentit, quodque fundamentum est cuiusvis sive appellationis sive recursus extraiudicialis, postulat ut causa eius suspendatur donec ab altiore auctoritate revideatur. Appellatio vel recursus est remedium iuris contra gravamen iniustum, quomodocumque inferatur, se defendendi; et est ab ipso iure naturali, quod nemini beneficium defensionis negat, introductum. Natura ipsa rei petit gravatum, donec de iustitia causae constet, gravamen repellere posse aut debere, nisi bonum publicum exigat, ut illud sustineat usque dum Superior de iustitia causae decernat.

In iure nostro Decretalium, sicut in iure Romano [2] effectus suspensivus recursus vel appellationis extraiudicialis characterem habebat generalem, nisi expresse prohiberetur. In hunc sensum canonistae c. 10 de appellationibus in VI interpretati sunt, ut videre est apud *Fagnanum* in c.*Irrefragabili*, n. 6, de *Off. Iud. Ord.* (I, 31), et in c. *Ad nostram*, *de appellationibus* (II, 28), et Benedictum XIV, *De synodo dioecesana*, lib. 13, c. 5, § 12. « Revera, ait *Lega* [3], in c. 10, h. t. in VI, statuitur admitti effectum suspensivum, nisi prohibeatur ». Quare, ne hoc remedium traheretur ad fraudes, ipsum ius Decretalium, nonnullas, in negotiis maioris momenti, exceptiones fecit, effectum suspensivum prohibens, praesertim in sequentibus casibus: a) in appellationibus a censuris iam inflictis, b) in causis correctionis et punitionis clericorum regularium. In causis, vero, quae ad correctionem et reformationem morum spectarent, quandoquidem in iure decretalium de prohibitione appellandi in suspensivo non constaret [4]. Conc. Trientindum in famoso cap. 10, sess. 24, *de reform.* prohibitionem statuit, quam praestat heic declarare. Ait Conc. Trid.: « Episcopi in omnibus iis quae ad visitationem et morum correctionem subditorum suorum spectant, ius et poestatem habent etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exsequendi iuxta canonum sanctiones, quae illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione ac

---

[1] Maschat, *Institutiones iur. can.*, 4. t., n. 21.

[2] D. 49, 7, 1; Cod. Just. VII, 62, 3.

[3] Lega, *De iudiciis ecclesiasticis*, I, nn. 634, 635.

[4] Leuren, *Forum ecclesiasticum*, lib. II, tit. 28, q. 1087; Santi, *Praelectiones iuris canonici*, lib. II, tit. 28, n. 37.

dioecesis utilitate necessaria videntur. Nec in his ubi de visitatione et morum correctione agitur, exemptio aut ulla inhibitio, *appellatio* seu *querela* etiam in Sedem Apostolicam interposita, *executionem* eorum quae ab his mandata, decreta aut iudicata fuerint, quoquo modo impediat aut *suspendat*. « Videlicet, appellatio a decretis episcopalibus sacrae visitationis aut correctionis morum non servatur in suspensivo. « Episcopus enim, ait SANTI l. c., ad regimen Ecclesiae suae debet ea libertate iuris muniri, ut efficax simul et promptum remedium exordientibus malis applicare possit, ne in exercitio vigilantiae suae retardetur ex malitia vafrorum hominum, qui iudicem superioris gradus primo intuitu decipere, eiusque auctoritatem invocare, saltem ad differendam inflictam sibi poenam callide studeant ».

Ergo in istis casibus appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo tantum observatur. At haec conclusio, ut notum est, coarctata fuit a S. Congregatione Concilii [1] ad decreta in visitatione lata, iudiciali forma non servata. Quam interpretationem Clemens VIII confirmavit per approbationem Decreti S. Congregationis Episcoporum, diei 16 octobris 1600 [2].

8. - Benedictus XIV per illam non minus celebrem Const. Apost. *Ad militantis*, diei 30 martii 1742 [3] multo plures descripsit ac declaravit casus, in quibus appellatio in suspensivo prohiberetur, per quandam quasi codificationem eorum qui sive in Concilio Tridentino sive in Constitutionibus Apostolicis posterioribus statuti fuerant. Praecipuos numeravit SANTI, *Praelectiones i. c. Decretales*, lib. II, tit. 28, n. 39, et inde reassumpsit LEGA *de iudiciis*, I, p. 618, n. 1.

Quibus aliqui casus addi debent in Constitutionibus Apost. posterioribus, sive iterum declarati sive de novo inducti. V. gr. in Const. Leonis XIII, *Romanos Pontifices*, diei 8 maii 1891 [4]; in ea duo casus recensentur appellationis, nempe Regularium ab interpretatione decretorum in Synodo dioecesana latis in iis quae de iure communi Regulares afficiunt (non in aliis), et appellationis eorumdem Regularium a divisione missionum: in utroque casu appellatio a decreto episcopali ad Sanctam Sedem in devolutivo tantum decernitur.

Sic etiam in Litteris Apostolicis, *Ea semper* B. Pii X, (18 Kal. Iul. 1907) de constitutione ritus rutheni in America Septemtrionali, in quibus appellationes omnes adversus decreta Ordinarii loci aut

---

[1] Cfr. FAGNANUS, l. c. in c. 3, h. t., n. 15.
[2] Cfr. REIFFENSTUEL, h. t. S 9; BOUIX, *De iudiciis ecclesiasticis*, t. II, n. 292.
[3] FONTES C. I. C., I, n. 326.
[4] FONTES, C. I. C., II, n. 582.

in controversiis ortis cum Episcopis ruthenis, in devolutivo tantum esse statuitur [1].

9. - Id est « iudicialis cum extraiudiciali appellatione maxime in hoc convenit quia nisi *expresse* prohibeatur a iure, duplicem effectum *suspensivum* et *devolutivum* habet extraiudicialis quoque appellatio ». Ita legitur apud LEGA-BARTOCCETTI, II, p. 1012, n. 4. Et merito quidem, ceu tota historia appellationis extraiudicialis seu recursus ostendit.

* * *

DE EFFECTU SUSPENSIVO IN IURE CODICIS.

10. - Principia supra exposita valere etiam pro Codice Iuris Canonici e duplici latere cernitur. Nam si recursus extraiudiciales ad superiores et praesertim ad Sanctam Sedem *omnes* ex regula effectum *tantum* devolutivum habere deberent, id Codex disserte statuere debuisset. Quod non fecit; imo pro quibusdam casibus explicite decrevit quinam recursus in devolutivo tantum sint, et plures recensuit in quibus locum habet effectus suspensivus.

Sic cc. 192 § 3, 296 § 2, 298, 345, 454 § 5, 513 § 2, 880 § 2, 1340 § 3, 1395 § 2, 1428 § 3, 2243 § 1 statuunt expresse recursus adversus Ordinariorum decreta in subiecta materia habere effectum devolutivum tantum. Canon 498 admittit recursum in suspensivo ad Sedem Apostolicam adversus decretum Ordinarii loci supprimentis domum ad Congregationem iuris dioecesani pertinentem; canon vero 699 recursum concedit ad Apostolicam Sedem adversus decretum Ordinarii loci supprimens aliquam associationem fidelium; effectus huius recursus non indicatur, at ex analogia (can. 20) suspensivum esse non dubitatur. Canon 647 § 2, n. 4 recursum concedit ad S. Sedem cum effectu suspensivo [2]; canon 2243 § 2 item concedit effectum suspensivum recursui a praecepto comminante censuras nondum contractas, nisi « agatur de re in qua *ius non admittit*... recursum etiam cum effectu suspensivo »; canon vero 2287 ab inflictis poenis vindicativis concedit recursum in suspensivo, « nisi aliud *expresse* in iure caveatur ».

Sunt praeterea in Codice recursus concessi de quibus nullus effectus determinatur, propterea quod agitur de denegata gratia aut prohibitione statuta in Decreto. Isti recursus naturam potius induunt *supplicationis* ad gratiam Principis impetrandam. Vel si decretum laedit iustitiam aut aequitatem effectus est suspensivus, ut in cc. 1465 § 1, 1709 § 3, 2153 § 1, quamvis Codex illum expresse non declaret.

[1] ASS. vol. 41, p. 3 et sq., aa. 6, 18.

[2] Cfr. S. C. de Religiosis, 20 iulii 1923 (AAS., 1923, p. 457), n. 4.

A definitivo decreto in processibus administrativis, de quibus in cc. 2142-2194, recursus ad Sedem Apostolicam habet sequentem effectum: « pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre valide nequit » (can. 2146 § 3). Qui effectus non est duntaxat devolutivus, cum paroecia conferri alii valide nequeat: neque pure suspensivus, quia parochus a decreto paroecia privatus « debet quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent novo parocho vel oeconomo ab Ordinario interim deputato tradere » (can. 2156 § 1).

11. - Consideratio canonum qui praecedunt ad sequentem ducit conclusionem: *etiam iure Codicis* principium canonicum esse, extraiudicialem appellationem seu recursum secum ferre effectum quoque suspensivum, nisi expresse a iure hunc non concedi aut prohiberi pateat [1]. Etenim Codex vigentem huc usque disciplinam retinet, licet opportunas immutationes afferat (can. 6). Iam vero nullibi in Codice constat disciplinam recursuum extraiudicialium mutatam fuisse; imo constat principia veteris iuris ea de re retinuisse et applicasse. Quin etiam, cum disciplina recursuum ad Sanctam Sedem statuta sit in canone 1601 quoad eorundem cognitionem exclusivam apud Sacras Congregationes, non immerito dici posse videtur quoad reliqua, id est, fatalia, effectus etc., normas esse desumendas in iis quae in Codice statuta non sunt, ex iure vetere. Nisi aliquis dicere malit, haberi in Codice lacunam legis implendam secundum can. 20; seu applicandas esse leges de appellatione iudiciali. In concreto, quoad effectus appellationis extraiudicialis, applicandus esset can. 1889.

* * *

APPLICATIO AD CAUSAM SEPARATIONIS CONIUGUM.

12. Enimvero, ad argumentum in n. 2 supra descriptum, tandem descendam necesse est. Agitur de causa separationis personalis coniugum. Tales causae duplici ratione tractari possunt; seu forma iudiciali, seu forma administrativa. Administrativa forma decerni

[1] LEGA-BARTOCCETTI, l. c. n. 6. Idem auctor in vol. III, p. 310, n. 13, diverso et contradictorio modo effectum suspensivum recursum contra Ordinariorum decreta proponit, aiens: « hic recursus per se non habet vim suspensivam nisi in casibus in iure positivo expressis, uti suo loco dictum est. ». Contradictio est manifesta. Sed auctor, cum in casu prae oculis haberet decreta extraiudicialia in iudicio poenali seu criminali, bene poterat appellare ad saepius in iure concessas facultates Ordinariis pro correctione morum in bonum fidelium. Qui est praecise casus canonis 1956.

potest separatio coniugum ob causas, de quibus in canone 1131 § 1 [1]. Decretum ergo separationis dabit Ordinarius loci; quo nomine venit etiam Vicarius Generalis, non autem Officialis (cc. 198, 1573). Adversus decretum Ordinarii recursum interponi posse et quidem ad S. Congregationem de Sacramentis, nullum est dubium.

Quisnam effectus eiusmodi recursus, devolutivus tantum an etiam suspensivus? E supra stabilito principio sequitur, nisi in iure effectus suspensivus prohibeatur, hunc quoque effectum recursum habere. Iam vero, nullibi in iure sive veteri sive hodierno in causis matrimonialibus effectus suspensivus prohibetur. Si enim forma iudiciali pertractentur, effectus suspensivus appellationis iudicialis a sententia definitiva plus quam manifestus est, sive de causa nullitatis sive de causa separationis agatur, salvo praescripto can. 1917 § 2. Si vero in casu canonis 1131 § 1 forma administrativa procedatur, nulla apparet ratio, cur diverso modo procedi debeat. Non ex regula generali recursuum seu appellationum extraiudicialium, ut supra ostendimus. Non ex rei natura, quae ipsissima est, tum si causa forma iudiciali, tum si forma administrativa agitetur. Nam gravamen quod utrique vel alterutri parti ex causae definitione auctoritativa proveniat, non speciem mutat ex forma procedendi; neque causae facilitas, quae requiritur ut Ordinarius administrative procedat, aut gravis urgentia, in effectum appellationis vel recursus incidunt, cum ad normam can. 1917 § 2, ut supra exposuimus, praesto semper sit exsecutio provisionalis cum debitis praestitis cautelis. Quin etiam, gravamen causa affert uni parti erga aliam, seu definitio causae iura subiectiva partium tangit directe; quare eidem convenit effectus suspensivus, cum huius prohibitio ad iura publica pertineat.

Si ergo exercitium iuris solvendi vitae communionem sive propria auctoritate coniugis (innocentis) (can. 1130), sive auctoritate Ordinarii loci (can. 1131; Commis. Cod. I. C., l. c.), sive iudicis sententia habeatur, cum de iure facultativo agatur, evidens est partem quae gravatam se putat, sicut habet ius appellationis vel recursus, ita quoque gaudere debere iure suspendendi exercitium illius iuris donec auctoritas competens id ratum habeat, nisi ob urgentes gravesque necessitates auctoritas Ordinarii vel iudicis ipsam separationem interim sustineat.

Male concipitur coniugem propria auctoritate discendentem obligari non posse ab auctoritate Ordinarii, ad quem alter coniux recursum fecit, ut vitae consortium instauret incontinenti, si legitimitas causae separationis dubia appareat; vel declarato adulterio

---

[1] Cfr. supra n. 1.

per definitivam sententiam a iudice prolatam, adhuc litem pendere de separatione coniugali si condemnatus appellet, et proinde vitae communitatem teneri debere [1]; haec et alia, inquam, male concepta dici deberent, si in causa separationis ab Ordinario loci administrativa forma definita, decretum illius ita teneret ut exsecutioni esset statim mandandum, sive separationem concedat, sive eamdem deneget.

13. - Notum est antiquos auctores cum veteri Decretalium iure [2], et recentes cum Codice I. C. (can. 1699 § 3) doctrinam de spolio ad causas matrimoniales applicasse, et singilatim ad causas separationis coniugum. Iam vero, eam nunc quoque applicandam esse, etiamsi ipsa causa in petitorio forma administrativa decernenda sit, nemo non scit qui aequitatem canonicam novit. Verum hodiernae condiciones sociales aliaque adiuncta vix non semper impedimento sunt, quominus violentiae, quae spolium constituunt, inter coniuges per restitutionem vitae communis remedium habeant.

Ius canonicum, sive vetus sive novum, cum de periculis adversus coniugalem vitam agitur, continuo remedia proposuit quibus eidem paci coniugali succurreret. Inde suspensio restitutionis vitae coniugalis, etsi vir mulierem, quae ab ipso propria auctoritate discessit, tamquam spoliatus restitui petat, si iustam causam, quod a viro recesserit proponere possit (can. 1699 § 3). Qua de re placet ex SCHMALZGRUEBER (h. t. n. 61) haec excerpere: « Si opponat exceptionem saevitiae (iustam causam habet); nam hoc casu non ante marito facienda est restitutio, quam is de malo aliquo uxori non inferendo, per pignora aut fideiussionem, vel iuramentum cautionem praestiterit; si vero uxor adhuc diffidat viro ob capitale eius odium, quo in se fertur, apud parentes, cognatos aut in alio tuto loco collocari poterit, dum causa videatur, ut bene notat Barbosa in cap. *transmissa* 8, h. tit., n. 1. et 5. Visa, et discussa causa, si tute mulier cohabitare marito nequeat, ad sententiam divortii est procedendum, ut colligitur ex c. *litteras* cit. ». Concordat can. 1699 § 3.

Summa enim haec est: quoties pax vitae communis periclitatur evidens est eam suspendi oportere, donec debita forma, sive administrativa sive iudiciali quaestiones quae in causis separationis agitantur, ab auctoritate competenti definiantur: nempe de iure solvendi vitae consortium, de culpabilitate alterutrius coniugis, de filiorum assignatione innocenti, et de effectibus patrimonialibus.

Unde sive ex motivis procedurae sive ex indole causarum du-

---

[1] Cfr. LEGA, I, n. 231; LEGA-BARTOCCETTI, I, pp. 466-467; WERNZ-VIDAL, VI, p. 305; SCHMALZGRUEBER, h. t., n. 62.

[2] Cfr. cc. 9, 13, 14, 19, X, *de restit. spoliat.* (II, 13).

bitari posse non videtur recursum de quo agimus effectum habere debere suspensivum.

* * *

FATALIA IN RECURSU.

14. - Effectus suspensivus Decreti administrativi in subiecta materia vindicatus salvare debet suspensionem exsecutionis quoad restaurationem vitae communis ob pacem et tranquillitatem ipsorum coniugum. Hic effectus suspensivus fatalia legis, neque in hac materia, perimere potest.

Ad rem Constitutio Bonifacii VIII, *Concertationi* [1] haec habebat: « ab electionibus, postulationibus, provisionibus et *quibuslibet extraiudicialibus actibus* (in quibus potest appellatio interponi) quisquis ex eis gravatum se reputans, per appellationis beneficium gravamen illatum desideraverit revocari, *intra decem dies* (postquam sciverit), si velit, appellet; post decendium vero eidem aditus non pateat appellandi ». Haec a iure romano descendisse notum est [2] et in ea doctrina conveniebant omnes classici auctores [3]; quare a gravamine sive iudiciali sive extraiudiciali appellationem ultra decendium non competere ante Codicem Iuris canonici tralaticium erat [4].

In Codice autem quibusdam in casibus recursum intra decem dies interponendum esse dissertis verbis praescribitur. Sic in cc. 1465 § 1, 1709 § 3, 2153 § 1. Quin etiam S. C. de Religiosis in Declaratione, de qua supra (n. 10) [5], censuit: « Tempus utile ad interponendum recursum quoad effectum suspensivum, de quo in can. 647 § 2, esse decem dierum ab intimatione decreti religioso dimisso facta, iuxta normam traditam in similibus casibus, ut can. 1465 § 1 et 2155, § 1, 2 ». Et S. C. Concilii in causa *Romana et aliarum*, pariter respondit: « Tempus utile ad recursum interponendum a definitivo decreto remotionis, ad effectum § 3 can. 2146 Codicis, esse decendium ab intimatione eiusdem decreti, supputandum ad normam can. 34 § 3, 3° et can. 35; certiore facto Ordinario loci ab ipso recurrente de legitime interposito recursu ad Apostolicam Sedem » [6].

Optimo igitur iure LEGA-BARTOCCETTI [1] propositae sibi quaestioni: « *an fatale* ad appellandum seu *decendium* observandum sit

---

[1] c. 8, *de appellat.* II, 15 in VI.

[2] Nov. Iust, 23, c. 1. = c. 28 C. II, q. 6.

[3] SCACCIA, *De appellat.* q. XII, n. 105; SCHMALZGRUEBER, l. II, tit. 28, n. 73; PIRHING, e. l. s. VI, n. 132; BOUIX, *de iudiciis*, c. III, § 9, 2.

[4] WERNZ. *Jus decretalium*, V, n. 700; LEGA, *De iudiciis eeclesiasticis*, I, n. 638.

[5] A. A. S., 1923, p. 457.

[6] A. A. S., 1924, p. 165.

[1] l. c., p. 1013, n. 8.

quoque in appellatione extraiudiciali » respondit: « equidem quia haec appellatio, nisi expresse prohibeatur, effectum *suspensivum* habet nedum *devolutivum*, qui numquam deest, DEBET CERTO TEMPORIS INTERVALLO EXERCERI, secus decreta administrativa semper impeti possent absque ulla termini praefixione, maximo cum descrimine et dedecore potestatis administrativae, ipsorumque Ordinariorum. Cum vero probaverimus, Codicem admittere expresse hanc speciem appellationis ex can. 1601, cuius arctum nexum cum appellatione iudiciali recognoscit, istam vocans appellationem seu recursum in c. 1601; et ita etiam in nomine insistit pressius vestigiis iuris veteris quod nullibi se corrigere velle edixit, consequitur ad tramitem quoque can. 6, n. 2, iure nostro Codicis, decendium vigere et observandum esse ad normam iuris veteris et decreti cit. Bonifacii VIII ».

15. - Nihil aequius quam haec praeclara doctrina, in casu nostro maxime applicanda. Neque obiiciatur causas de statu personarum numquam transire in rem iudicatam (cc. 1903, 1989) et proinde semper retractari posse. Nam aliud est causam semper retractari posse, *si nova argumenta praesto sint*, et aliud omnino diversum effectus sententiae indefinite suspendi posse. Etiam in causis de statu personarum sententiae vel decreta exsecutioni mandari debent, nisi appellatio vel recursus *ad normam legis* fiat, i. e., inter alia, servatis fatalibus. Id autem summi momenti est, si sententiae vel decreta praeter effectus canonicos, etiam civiles habere debeant, et quidem, ut in quibusdam nationibus a tribunalibus civilibus exsecutioni mandandos (C. c., hisp. art. 67, 82).

Ius nostrum effectum suspensivum concedit ob gravamina partium quae ex decretis Ordinariorum procedere possunt, nisi obstet ratio iuris publici. In illis ergo appellationis regulas sequi deberi recta ordinatio postulat, « ne quod in iustitiae praesidium conceditur, in iniquitatis fomentum traducatur », ut in Animadversionibus praedictae *Romanae et aliarum* S. C. Concilii sapienter edicitur. Absurdum esset, ut decreta administrativa in causis separationis indefinite incerta manerent, ob possibilitatem sine fatalibus recursus ad Superiores, « maximo cum discrimine et dedecore potestatis administrativae, ipsorumque Ordinariorum », ut optime cl. LEGA ait. Et liceat mihi addere, illud dedecus tribunalia civilia non semel animadvertisse.

RAIMUNDUS BIDAGOR S. I.

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

MIGLIORAMENTI ECONOMICI AL CLERO CONGRUATO

Nella seduta pomeridiana del 14 marzo 1952 la Camera ha approvato il disegno di legge n. 2018 sui miglioramenti economici al clero congruato.

Il disegno di legge posto in votazione è il seguente:

« Art. 1. Sulle misure dei limiti di congrua spettanti al clero alla data del 31 dicembre 1949, per effetto delle disposizioni contenute nel regio decreto 29 gennaio 1931, n. 227, e delle successive disposizioni legislative, viene concesso, a decorrere dal 1° luglio 1951, un aumento temporaneo del 50 per cento, fermo restando quanto disposto con la legge 30 novembre 1950, n. 998.

Lo stesso aumento compete, con la stessa decorrenza, sulla misura in vigore al 31 dicembre 1949 degli altri assegni fissi e di quelli in compenso delle spese di culto, previsti dal regio decreto 29 gennaio 1931, n. 227, nonchè degli assegni spettanti agli ecclesiastici in attività di servizio contemplati dall'articolo 24, comma secondo, della legge 27 marzo 1929, n. 848.

L'aumento di cui ai precedenti commi, compete, con la stessa decorrenza, sulle misure degli assegni annui e delle spese di officiatura spettanti al clero del Pantheon, stabilita dall'articolo 5 del decreto legislativo 9 settembre 1947, n. 1481, e raddoppiata con l'articolo 2 della legge 29 luglio 1949, n. 494 ».

Art. 2. All'onere derivante dall'applicazione della presente legge per l'importo di lire 1300 milioni sarà provveduto mediante riduzione di corrispondente somma dei fondi iscritti sul capitolo 453 dello stato di previsione della spesa del Ministero del tesoro per l'esercizio finanziario 1951-52 ».

Alla data del 31 dicembre 1949, in base alla legge 29-VII-1949, n. 494, un parroco, per esempio, percepiva un assegno di congrua di lire 126.000 annue. Con il nuovo aumento del 50% egli riscuoterà annualmente lire 189.000.

Degna di particolare rilievo è la precisazione fatta, in sede di discussione, da un deputato della maggioranza, il quale dichiarò che la questione si doveva considerare da un punto di vista esclusivamente giuridico. « Non si tratta qui di alcuna rivendicazione

sociale del clero congruato, ma soltanto dell'adempimento di un obbligo giuridico assunto liberamente dallo Stato italiano verso la Santa Sede. L'articolo 30 del Concordato espressamente dispone che lo Stato italiano, finchè con nuovi accordi non sarà stabilito diversamente, continuerà a supplire alle deficienze dei redditi dei benefici ecclesiastici con assegni da corrispondere in misura non inferiore al valore « reale » di quelli stabiliti dalle leggi attualmente in vigore.

Non si versa quindi in una operazione di revisione, ma si tratta, invece, soltanto della esecuzione di un obbligo giuridico assunto da una parte verso l'altra. Vale a dire, con l'accettazione del Concordato - atto bilaterale che ha portato, come tale, ad impegni reciproci a carico dell'una e dell'altra parte contraente - lo Stato italiano si è obbligato a rivaludare il potere di acquisto della moneta nella misura reale dell'epoca in cui la congrua è corrisposta. Nella specie occorre quindi fare soltanto un'operazione statistica ed un'altra aritmetica: vale a dire, vedere quale sia ad oggi il diminuito potere d'acquisto della lira e conseguentemente vedere di quanto debba essere aumentata la congrua.

Ecco perchè non siamo sul terreno delle rivendicazioni sociali, ma esclusivamente sul terreno giuridico. Occorre qui accertare se esista a carico dello Stato italiano un obbligo verso l'altra parte contraente; e pertanto se si versi, come non può mettersi in dubbio, in un vero e proprio diritto soggettivo del clero, diritto nascente dal Concordato ».

Ci pare che in questo modo il problema sia stato impostato nel suo giusto valore [1].

REVISIONE CANONI ENFITEUTICI

La Camera dei Deputati nella seduta del 20 giugno 1952 ha approvato il disegno di legge contenente « *Norme in materia di revisione di canoni enfiteutici e di affrancazione* » nel testo che segue:

ART. 1. - I canoni in danaro di enfiteusi costituite anteriormente al 28 ottobre 1941 sono aumentati a sedici volte l'ammontare dovuto a quella data, a decorrere dalla prima scadenza posteriore alla entrata in vigore della presente legge.

---

(1) Cfr. F. ROMITA. *Il problema della congrua in Italia (a proposito del recente aumento della congrua governativa)* in *Il Monitor Eccles.* vol. 72 (1947) pag. 123-138.

La misura dell'aumento è ad otto volte per i canoni enfiteutici stabiliti nei provvedimenti di ripartizione fra i cittadini utenti di uso civico.

ART. 2. - La variazione del canone disposta dall'articolo precedente assorbe, se li supera, gli aumenti dipendenti dall'applicazione degli articoli 962 del Codice civile, 144 e 145 delle disposizioni di attuazione e transitorie di detto Codice; ed è considerata come prima revisione ai sensi del citato articolo 144.

La successiva revisione, in base all'articolo 962 del Codice civile, potrà essere richiesta dal concedente dopo il decorso di dieci anni dall'entrata in vigore della presente legge, e dall'enfiteuta anche prima di tale termine.

ART. 3. - Nei procedimenti di affrancazione dei canoni enfiteutici che siano pendenti alla data di entrata in vigore della presente legge e che non siano stati conclusi con sentenza passata in giudicato o definiti con atto formale fra le parti, si applica, agli effetti della determinazione del prezzo di affrancazione, l'aumento del canone in conformità dell'articolo 1.

Qualora il canone enfiteutico consista in prodotti naturali, la somma da capitalizzare ai fini dell'affrancazione si determina nella media dei valori di tali prodotti durante il decennio antecedente all'entrata in vigore della presente legge.

ART. 4. - La presente legge si applica anche agli enti in confronto dei quali fu con decreto legislativo 4 dicembre 1946, n. 671, sospeso temporaneamente fino al 31 dicembre 1948 l'esercizio del diritto di affrancazione.

ART. 5. - La presente legge non si applica ai canoni enfiteutici dovuti per enfiteusi costituite da o a favore di enti di colonizzazione aventi per scopo la bonifica e la distribuzione dei fondi a coltivatori diretti.

* * *

Non agevole è stato l'*iter* di questo disegno di legge.

Esso si collega al provvedimento di sospensione degli affranchi di canoni nei confronti degli Enti per il periodo 1946-47-48.

Al cessare di tale disposizione legislativa si vide l'opportunità di disciplinare radicalmente la materia della revisione dei canoni e degli affranchi in relazione alla sconvolta situazione economica e nei riguardi anche dei concedenti privati.

Il Governo presentava quindi alla Camera dei Deputati nella seduta del 10 ottobre 1948 il presente disegno di legge nella sua formulazione originaria.

Notevole fu l'opposizione che tale disegno incontrò da parte dei rappresentanti di sinistra, i quali ponevano in luce il lavoro di miglioramento operato dagli enfiteuti e che li legittimava a divenire pieni proprietari. Si giunse ad affermare (On.le Giovanni Sampietro) che « l'enfiteusi deve morire perchè non ha più una ragione, una funzione utile al complesso della agricoltura nostra ».

Che tale rapporto giuridico assolva, invece, ad un'alta funzione sociale fu riconosciuto dalla stessa estrema sinistra quando in sede di riforma agraria si propose che lo Stato obbligasse a concedere i fondi in enfiteusi.

E' infatti un contratto da favorire e diffondere perchè:

a) - crea un rapporto stabile della famiglia colonica ad una determinata terra, con conseguenziale maggiore serenità, attaccamento e cura del fondo;

b) - pone tra i doveri dell'enfiteuta quello del miglioramento, con autonomia rispetto al proprietario e vantaggiosa unicità di criteri;

c) - dà all'enfiteuta la possibilità di divenire pieno proprietario della terra, con diffusione quindi della piccola proprietà.

Ma per salvare l'enfiteusi era necessario renderla « un contratto al quale avessero interesse l'una e l'altra parte » (Piccioni) e per cui si imponeva:

l'esigenza di « una rivalutazione monetaria di valori cui la svalutazione ha tolto ogni concreto significato, rompendo il rapporto proporzionale dei sacrifici così come voluto dalla legge del contratto » (On.le Rocchetti). Basti pensare che rispetto al 1938 (con numero indice 1), il valore del frumento, ad esempio, è salito a 51,59 nel 1948 e a 47,47 volte nel 1949;

rivalutazione anche dei canoni in natura perchè anche questi ultimi, al momento dell'affranco sono espressi, secondo la legge, in moneta;

disciplina delle affrancazioni in corso perchè fortemente inficiate dalla svalutazione.

Sulla necessità della legge, sul sistema di revisione, sulla estensione dell'applicazione ai canoni in natura e a tutti i giudizi in corso, si accesero vive discussioni con numerosi interventi di parlamentari e profonde argomentazioni storico-giuridiche, sia alla Camera dei Deputati che nel Senato, dove il disegno trovò altra formulazione nella seduta del 23 maggio 1950.

Gli ostacoli di principio sembravano infine superati in quanto:

1) Il canone dell'enfiteuta *non è per sua natura fisso*, perchè già il D. L. 1923 l'aumentava del 20%, l'art. 962 c. c. e l'art. 144 disp. trans. stabilivano la periodica revisione;

2) Il principio *nominalistico non può applicarsi* perchè, oltre al

fatto che si è in sede di legislazione e non di interpretazione della legge, si è in presenza di un debito di valore e non di valuta, come è provato dalla menzione del canone enfiteutico fra i frutti civili (art. 820 c. c.) considerati corrispettivi del godimento della cosa;

3) *l'irretroattività non contrasta* l'applicazione ai giudizi in corso perchè si è in sede legislativa, e poi, si tratta dell'applicazione di un principio processuale per cui è ammissibile la retroattività;

4) *l'affrancazione è un sacrosanto diritto* dell'enfiteuta, ma non deve risolversi, per esiguità di valore, in un furto legale ai danni del concedente.

Restavano alcune questioni di limiti dell'applicazione della legge, per cui la Camera dei Deputati modificò il disegno nella seduta del 26 gennaio 1951, ma il Senato tornò sostanzialmente sul suo precedente avviso nella seduta del 9 agosto 1951.

Tornato l'ultima volta alla Camera dei Deputati, le Commissioni permanenti III^{a} e IX^{a} avevano proposto di insistere ancora nell'atteggiamento discorde dalla formulazione data dal Senato.

Ma l'Assemblea, in considerazione anche del fatto che la definitività dei rapporti a volte consegue vantaggi maggiori della stessa esattezza giuridica, ha finito col condividere l'opinione del Senato sull'art. 3, ultimo punto controverso, ponendo così la parola « fine » alla lunga ponderata gestazione della presente legge.

Dr. Fernando Santosuosso

FRANCE

SUR LE DROIT DU SAINT PERE D'HERITER EN FRANCE

(A propos d'un décret récent.)

1). - La question de savoir si, en droit français, le Saint Père, en tant quel tel, est habile à recevoir à titre gratuit à cause de mort, s'est trouvée posée pour la première fois, à la fin du siècle dernier, à propos de l'éxécution du testament de la Marquise Du PLESSIS BELLIERE.

Cette dernière, décédée le 4 Juillet 1890, avait, à la date du 9 Octobre 1889, institué le Pape Léon XIII pour son héritier. Elle lui léguait notamment son hôtel, situé à Paris, Place de la Concorde, n° 6, et le château de Moreuil. Elle demandait au Saint Père d'affecter le premier de ces deux édifices à la résidence ordinaire du nonce apostolique en France, le deuxième à la résidence d'été de celui ci. Elle léguait de plus au Saint Père une somme de 400.000 Fr. dont le revenu était destiné à subvenir aux frais d'entretien de la chapelle et de l'asile annexés au château de Moreuil et des collections qui y étaient conservées.

La testatrice disposait enfin qu'en cas de prédécès de Léon XIII et de vacance du Saint Siège, les legs seraient recueillis par le Cardinal Rampolla, ou, à son défaut, par le Comte de Colbert Turgis, aux mêmes fins.

Le Saint Père ayant accepté la succession sous bénéfice d'inventaire, fut envoyé en possession par ordonnance du Président du Tribunal civil de Montdidier (6 Août 1890). Les héritiers collatéraux écartés par la testatrice demandèrent au Tribunal civil de Montdidier de déclarer nulles les dispositions précitées, « comme faites au profit de l'Eglise catholique, pouvoir purement spirituel et incapable de recevoir ».

Par son jugement en date du 4 Février 1892, le Tribunal déclara le Saint Siège capable de recevoir le legs universel, moyennant l'autorisation du gouvernement, le legs devant être frappé de nullité si cette autorisation l'intervenait pas dans les six mois. Il est intéressant de relever les considérants essentiels de ce jugement:

« Les états étrangers constituent de plein droit et par nécessité des personnes morales de premier ordre, capables de s'engager, d'acquérir et de recevoir par des traités et, à plus forte raison, par des contrats ou actes de droit civil.... En principe, suivant la loi du 14 Juillet 1819, les personnes étrangères, tant physiques que morales, jouissent en France du droit de succéder, de disposer et de

recevoir... Les états étrangers reconnus et, en l'espèce, le Saint Siège, y ont donc la capacité juridique, à défaut de traités et de dispositions législatives sur ce point... ».

Sur appel principal des héritiers collatéraux écartés et appel incident du Saint Père, du Cardinal Rampolla et du Comte de Colbert Turgis, la Cour d'appel d'Amiens infirma le jugement du Tribunal de Montdidier. « Le Pape, lit on en son arrêt, représentant l'Eglise catholique, n'a aucune capacité civile en France et selon le droit français. En conséquence, l'institution universelle faite en sa faveur per la Marquise Du Plessis Bellière est nulle et de nul effet ». De même celles faites au profit du Cardinal Rampolla et du Comte de Colbert Turgis, considérés comme personnes interposées.

Le Saint Père et ses colégataires s'étant pourvus en Cassation, la Chambre des Requêtes, contrairement au rapport du Conseiller Cotelle et aux conclusions du Procureur général Manau, admit le pourvoi par un arrêt du 14 Mars 1894. La Chambre civile n'eut pas à statuer définitivement, une transaction étant intervenue entre les parties. La teneur n'en est pas connue.

La question du droit du Saint Père d'hériter en France, débattue en doctrine, mais tranchés dans le sens affirmatif par la très grande majorité des auteurs, n'était donc pas résolue en jurisprudence.

2). - Elle vient de trouver sa solution à propos d'une espèce récente.

Le 24 Septembre 1940, Melle X, résidant dans un département du Midi de la France, décédait sans héritiers réservataires. Elle avait, au cours de sa longue vie, rédigé quatre testaments. Qu'il suffise de dire ici que le quatrième maintenait le troisième dans la plupart de ses dispositions, mais substituait aux héritiers naturels, exclus de tout legs universel ou à titre universel, le souverain Pontife.

Les dispositions essentielles du testament du 16 Mars 1917, dont les héritiers écartés n'ont d'ailleurs pas contesté la validité, étaient formulées en ces termes assez confus: « ..Je désire que toute ma fortune devienne le patrimoine des pauvres ou contribue à la création ou au maintien d'oeuvres charitables que j'avais mentionnées dans mon précédent testament ». Elle ajoutait: « ...pareille somme sera laissée au notaire,... à charge, après avoir réalisé ou contribué à faire réaliser tous les dons ou conditions testamentaires, de remettre au Souverain Pontife le restant de ma fortune, réalisé en numéraire, afin qu'il puisse en disposer, comme chef de l'Eglise

et de la Chrétienté, comme bon lui semblera, en priant et faisant prier pour le repos de mon âme ».

Par ordonnance en date du 11 Février 1941, le Président du Tribunal du ressort « envoyait le Saint Père en possession du legs universel à lui fait par Melle X, aux termes dudit testament du 16 Mai 1917, pour disposer des biens qui le composent, conformément à la loi et sous réserve des droits des tiers ».

3). - Il est de jurisprudence, en France, que lorsque « les pauvres » ne sont pas autrement précisés par le testateur, c'est le bureau de bienfaisance de la commune qui hérite en leur nom. Or, du vivant de Melle X, ses libéralités allaient à deux communes limitrophes dans chacune des quelles elle possèdait une habitation. Les dispositions bienfaisantes de ses deux testaments étaient, de même, réparties entre les oeuvres de ces deux communes. Ce fut l'origine d'une longue controverse. Les deux communes finirent par transiger. (4 Juin 1949).

Dès le 15 Juillet 1942, le Préfet du Département avait saisi de l'affaire le Ministre Secrétaire d'Etat à l'Intérieur, qui, après avoir invité les bureaux de bienfaisance intéressés à transiger entre eux, les invitait, cet accord réalisé, à transiger également à l'égard de l'Autorité diocésaine et du Saint Père considérés comme colégataires. Le Ministre ajoutait: « Ces deux transactions ne pourront devenir définitives qu'après avoir été approuvées par Décret en Conseil d'Etat, sur la proposition du Secrétaire d'Etat à la Santé, par application de la loi du 4 Février 1901, art. 7.

« Sauf au Souverain Pontife à revendiquer sa part héréditaire en son nom personnel, ce qui n'est certainement pas le cas, il est tenu, pour se porter partie à la transaction, d'invoquer soit sa qualité de chef d'Etat, soit celle de chef de l'Eglise universelle, soit les deux conjointement. Or, agissant au nom d'un établissement public étranger, une autorisation par décret en Conseil d'Etat est nécessaire pour l'habiliter à accepter le legs, conformément à l'avis de la haute assemblée du 14 Janvier 1854.

« Cette interprétation, au demeurant, est, en tout état de cause, la plus favorable au Pape; en effet, la capacité de recevoir à titre gratuit en France, a fait l'objet de sérieuses discussions doctrinales et lui a même été déniée par décision de justice. Toutefois, les héritiers naturels étant les principaux intéressés à soulever ce moyen, si ces héritiers ne donnent pas suite à leurs oppositions, je ne ferai pas d'obstacle, pour ma part, à ce que le Saint Père revendique partie du legs X, sous réserve de l'avis favorable du Secrétaire d'Etat aux Affaires Etrangères, en raison du caractère diplomatique de cet aspect de l'affaire ».

Le 22 Novembre 1946, le Ministre l'Intérieur, consulté de nouveau, émettait un avis analogue en ce qui concerne la Participation du Souverain Pontife. De fait, le 4 Juin 1949, les colégataires adhérèrent définitivement à une convention réglant curs droits réciproques, sous la condition de l'autorisation administrative ultérieure. - Aux termes de cette convention signée par l'Archevêque de X en tant que mandataire du Souverain Pontife, celui - ci devait recevoir, les legs particuliers étant déduits, le tiers de l'actif successoral.

4). - Le Conseil d'Etat, après une double lecture, sollicita l'avis du Ministre des Affaires Etrangères. C'est en Octobre 1950 que l'avis favorable du Quai d'Orsay était notifié au Ministre de l'Intérieur et, par lui, au Conseil d'Etat. Sur l'avis favorable de cette haute juridiction administrative, le Président du Conseil des Ministres signait, le 30 Mars 1951, le décret permettant l'éxécution du legs. Le passage essentiel de ce décret, contresigné par les Ministres de l'Intérieur et de la Santé Publique, est conçu en ces termes: « Art. I) Est autorisée l'éxécution de la transaction susvisée, en date du 4 Juin 1949... Art. 4) Est autorisée l'exécution de la disposition dudit testament du 16 Mars 1917, relative au Souverain Pontife, telle qu'elle a été interprétée par cette même transaction ».

5. - Ainsi se trouve sanctionnée dans son ensemble la théorie sur laquelle se fondait le jugement du Tribunal de Montdidier du 4 Février 1892, théorie adoptée par la grande majorité des auteurs. La personnalité de droit international du Saint Siège, qui se trouve reconnue par le seul fait que le Gouvernement français entretient avec lui des relations diplomatiques, implique la personnalité civile avec tous les droits qui en résultent. Le décret du 30 Mars 1951 le suppose évidemment.

JEAN THARY

RECENSIONES

Sacrae Romanae Rotae Decisiones seu Sententiae quae prodierunt anno 1942 cura ejusdem S. Tribunalis editae, vol. XXXIV, Typis Polyglottis Vaticanis, 1951.

Volumen istud octoginta unam sententias comprehendit, quarum septuaginta septem causas de valore vinculi matrimonialis definiunt, duae quaestiones processuales in causis tamen matrimonialibus, duae causas contentiosas inter personas privilegio gaudentes fori.

Sententiarum in causis matrimonialibus latarum, viginti quinque declararunt vinculi *nullitatem* (quarum 12 ex capite *metus*, 3 ex capite *exclusi boni sacramenti*, 2 ex capite *exclusi boni prolis*, 1 ex *capite metus simulque exclusorum bonorum prolis et sacramenti*, 1 ex capite *conditionis licitae de praeterito*, 1 ex capitibus *conditionis licitae de praesenti et defectus formae*, 1 ex capite *amentiae*, 1 ex capite *impotentiae viri*, 1 ex capite *defectus consensus ob revocatum mandatum procuratorium*, 1 denique *ex* capite *disparitatis cultus invalide dispensati*): aliae 7 *matrimonium inconsummatum* edixerunt totidemque dispensationes Summo Pontifici largiendas consuluere, quae omnes concessae sunt.

Cum pauca inveniri videantur in hoc volumine quae in lege substantiali illustranda dici possint nova relate ad decisiones annorum 1940 et 1941 in hac ephemeride recensitas (1950 fasc. I-II-; 1951, fasc. II), malumus ista vice immorari in jure *probationes* respiciente.

Antequam tamen hanc magis specificam tractationem aggrediamur, notare opportunum ducimus nonnullas Decisiones quae peculiarem mentionem mereri videntur ob *raritatem factispeciei*, quae amplis interdum expositionibus juridicis ansam praebuit.

In themate nullitatis matrimonii:

Dec. XIII coram R. P. D. Wynen in causa *Burdigalen.* Pronuntiat nullitatem matrimonii ob impedimentum disparitatis cultus invalide dispensatum ex defectu causae canonicae. Nam in casu unica causa adducta erat amor contrahentium. Fuse exponitur status legislationis et doctrinae circa dispensationes et causas canonicas (pp. 130-135 nn. 8-13; pp. 139-140 n. 17).

Dec. XVIII coram R. P. D. Pecorari in causa *Salisburgen.* Circa assertam omissionem interrogationis de sponsae consensu in actu ceremoniae nuptialis ex parochi parte, Sententia ait sufficere participationem utriusque contrahentis complexo ritui nuptiali specialiter vigenti in Rituali Archidioecesano Salisburgensi, qui refertus est declarationum et exhortationum positivae consensus exquisitioni aequivalentium (p. 177 et 179).

Dec. XXXII coram R. P. D. Wynen. In themate metus injuste incussi, difformiter ac in appellata sententia rotali, statuitur « injuste incuti metum juveni, qui quidem imperfectos actus impudicos cum puella perfecit, sed nullatenus pervenit ad copulam et proinde puellam nullo modo

defloravit, qui tamen, per indiligentem denuntiationem in judicium vocatus, ob erratas peritias post inspectam puellam a medicis exaratas, praevidet se immerito ad carcerem plurium annorum condemnatum iri, et ad hoc grave malum evitandum se declarat paratum ad puellam ducendam in uxorem et reapse cum ea matrimonium contrahit. Si quidem *quoad modum* metus injuste in casu incutitur, cum « ad dolum vel calumnias recurratur vel ad processum illegaliter institutum » (De Smet), seu quia denuntiatio « mediis injustis utitur » (Wernz-Vidal), dum tantum satisfactio pro actis impudicis exigi potuisset; juvenis ille utique « malum aliquod reipsa meretur, sed non illud quod timet et quo compellitur ad nuptias » (Gasparri). Sed etiam *quoad substantiam* injustus dicendus est metus juveni incussus, cum judex « cogat sponsum innocentem » ad matrimonium (Wernz-Vidal), quod « stricto jure exigi nequit » (Cappello). A fortiori jus illius juvenis graviter laeditur, si non solum introductio causae parum exacta et injuriosa est, sed si etiam comparatae probatione, v. g. peritiae, de substantiali errore argui debent. - Neque objici potest: « Etsi accusatio et imminens condemnatio ob non recte assertam defloration em puellae et ob erroneas probationes paratas injuste factae sint, tamen juvenis nihilominus ad carcerem, licet minoris durationis, condemnatus fuisset, si juxta veritatem rei processus introductus fuisset ob meros actus impudicos in puella aetate minore commissos ». Etenim ad affirmandam vel negandam exsistentiam metus injuste incussi non sunt consideranda facta quae accidere potuissent, sed exclusive facta quae in rerum natura reapse aderant. Haec autem facta, in exemplo allato, scl. injusta accusatio, comparatio erratarum probationum et immerita inductio ad matrimonium, metum juveni incussum reddiderunt omni ex parte injustum; quoniam videlicet metus « certe injuste incussus dicendus est, si juris ordo in *debitam* poenam infligendam non servetur, nam hujusmodi vox « injuste » non quid, sed *quomodo* aliquid fiat praecise significat » (Cappello). Quae eidem juveni in aliis circumstantiis accidere potuissent, nostra non interest, sed tantum factum, quod ad evitandam imminentem punitionem evidenter injustam juvenis contraxit matrimonium » (p. 327 nn. 4-5).

Dec. XLVII coram R. P. D. Wynen nullitatem pronuntiat ex triplici capite metus, exclusi boni sacramenti et exclusi boni prolis. Peculiariter notandus est N. 12 (p. 506) in quo enucleatur quando et quomodo haec tria capita simul exsistere queant.

Dec. XLVIII coram R. P. D. Jullien. Respicit impedimentum publicae honestatis. Fuse exponitur notio « concubinatus », quae « proprie importat carnale commercium vitae conjugalis instar, seu re et animo permanens, quia non desistere ab ista consuetudine eae (personae) sibi saltem implicite proposuerunt... quin tamen requiratur ut concubinarii sub eodem tecto vivant atque alter alteram suis expensis retineat, quamvis retentio ista et cohabitatio gravia concubinatus praestant indicia... Differt igitur concubinatus a fornicatione accidentali aut etiam repetita cum eadem; sit meretrix necne, sed absque illa vitam sexualem continuandi intentione, seu absque habituali intimaque connexione, qua con-

stituitur status concubinatus ». (p. 517 n. 2 et n. 4). - Exponit dein Decisio in quibusnam condicionibus concubinatus dicendus sit publicus vel notorius, ad normam can. 1078 (p. 518 n. 5).

Dec. LV coram R. P. D. Quattrocolo. Pronuntiat nullitatem ob defectum consensus viri, qui revocaverat mandatum procuratorium ante matrimonii celebrationem. Procurator et altera pars ignorabant revocationem cum ritum celebrarunt: quae ceterum circumstantia non obest nullitati, prout obvium est ex ipsa rei natura et juxta expressum canonis 1089 § 3 praeceptum. Praeterea, Decisio declaravit non valere ratihabitionem: « Talis etenim est matrimonii propria indoles, ut utriusque partis consensus uno contextu emissus esse debeat; matrimonium enim est sacramentum, quod vel actu conficitur, vel nullum est et nova indiget celebratione » (p. 615 n. 4).

Dec. LXXIII coram R. P. D. Jullien est ultima pronuntiatio, quae definitiva facta est, super peculiari casu psychopathiae sexualis, qui objectum constituit Decisionis VIII coram R. P. D. Teodori anni 1940, a nobis recensita in hac ephemeride (an. 1950, fasc. II, pag. 307).

Dec. LXXIX coram R. P. D. Pecorari in causa *S. Jacobi de Chile*. Matrimonium declaratum est invalidum ob defectum formae, quatenus sacerdos celebrans, qui erat capellanus militaris, nulla amplius pollebat jurisdictione personali in actorem, quia hic quinque ante diebus militiam reliquerat. Notanda peculiariter est pars sententiae quae fuse tractat celebrem quaestionem erroris communis ad normam canonis 209 (p. 837-840). In casu autem Decisio retinuit haberi merum errorem privatum et personalem plurium personarum, videlicet sacerdotis celebrantis, qui erronee credidit virum adhuc militiae pertinere: actoris, qui erronee credidit perdurasse jurisdictionem capellani qui omnia necessaria ad ceremoniam jam antea praeparaverat et statutum jam fuerat eum matrimonium esse adstiturum: mulieris conventae, quae plene ignorabat munera et officia capellani (p. 844).

In aliis thematibus:

Dec. I coram R. P. D. Wynen. Haec Decisio, quae infirmat decisionem LIX anni 1940, cujus mentionem fecimus in nostra recensione (*Monitor Eccles.* vol. 75 (1950) fasc. I, pag. 146), magnum momentum praesefert, tum quia definitive statuit a decisionibus SS. Congregationum non dari recursum ad Rotam, tum quia declaravit translationem vel privationem officii alicujus membri Instituti religiosi non esse habendam uti poenam, « siquidem in Institutis religiosis translatio membrorum ab uno loco in alium pendet a prudenti judicio Superioris, qui procedere potest etiam ex causa levi, imo ex mera opportunitate; excipiuntur solummodo illa officia, quibus Constitutiones Instituti tribuunt certam et determinatam stabilitatem, et quorum titulares ante terminum stabilitum removeri nequeunt nisi ob gravem culpam rite probatam. Alia vero membra Institutorum nullum habent jus ut Superior eos in aliquo loco manere patiatur, potius commorationem et occupationem in certo

quodam loco habent ad nutum Superioris » (p. 8). Proinde, Sententia declaravit non esse reum iniuriae Superiorem qui transtulit religiosum in aliam sedem ex motivis opportunitatis, quin ulla vera culpa ejusdem inferioris probata fuerit. Consequenter, rejecta est petitio refectionis damnorum ab inferiore proposita.

Dec. LIII coram R. P. D. Jullien. Respicit actionem promotam a metropolitano capitulo Syracusano adversus mensam episcopalem agrigentinam ad obtinendum supplementum praebendale iuxta quoddam rescriptum regis utriusque Siciliae anni 1859. Decisio agnovit naturam oneris realis et perpetui istius supplementi, quippe impositi non vi juris regaliae a regibus Siculis contra leges canonicas vindicati et aboliti a concordato italico anni 1929, sed modo legitimo ad normam Concordati anni 1818 cum Regno utriusque Siciliae, cum necessaria sanctione Pontificia. Quomodocumque Capitulum legitime praescripsisset jus ad dictam praestationem ex quasi possessione ultra quadraginta annos protracta (p. 588 et ss.).

In re processuali, notanda est Dec. LXIV coram R. P. D. Quattrocolo in causa *Belograden.* Declarat juxta canonem 1738 ob peremptionem periisse acta processus, non autem acta causae; quare haec in actis novi processus inter easdem partes et super eisdem capitibus nullitatis matrimonii coram alio tribunali instaurati inseri posse (pp. 700-701 § 3). Secundo, declarat validitatem sententiae in primo gradu latae inter actorem, qui contumax declaratus est ante sententiae pronuntiationem, et conventam, quae inhabilis fuisset accusandi matrimonium ad normam canonis 1971 § 1 n. 1. Conventa enim non amisit figuram et formam partis conventae, jure suo usae ad normam can. 1850 § 3. Tertio, declarat nullitatem sententiae secundi gradus ob defectum citationis. Citatio quidem potest suppleri « per spontaneam partium comparitionem in judicio juris experiundi causa: at necessariam eam adeo esse - ait Decisio - ut, ea deficiente, sententia contra absentem data una cum toto processu sit ipsomet jure nulla et irrita, prouti corrivatur tum ex can. 1894, tum ex can. 1723; nititur enim citatio jure naturali » (p. 704 n. 8). In casu ne spontanea quidem comparitio adfuit: « nam ut suppleatur citatio per spontaneam comparitionem partium coram Judice, oportet ut actuarius in actis significet partes sponte sua in judicio adfuisse (can. 1711 § 2) » (ibid.).

Non valet proinde ad hunc effectum posthuma declaratio conventae ad hunc effectum posthuma declaratio conventae post sententiam data se personaliter intervenisse apud tribunal renuntiando citationi. Neque valent posthumae partium declarationes se ambas renuntiare nolle proponere querelam nullitatis sententiae; nam haec querela intra terminum trium mensium ad normam canonis 1895 proposita in casu fuit a defensore vinculi.

Sententia illa denique declaratur invalida etiam ex eo quod tenuit pro actrice eam quae fuerat conventa, quaeque inhabilis fuisset accusandi matrimonium ad normam canonis 1971 § 1 n. 1 (p. 705 n. 8). Quae postrema tamen conclusio hodie, seu post Responsum Commissionis Interpr. diei 4 januarii 1946, non amplius sustineretur.

* * *

Deveniamus nunc, uti dictum supra est, ad jus respiciens *probationes* magis specifice examinandum quomodo in recensitis Decisionibus exponatur et applicetur.

Praemittatur tamen oportet consideratio essentialis. Passim loquentes de probationibus necessariis ad hoc vel illud factum in jure relevans demonstrandum, puta, ad quoddam impedimentum vel vitium matrimonialis consensus, Decisiones Rotales certe minime resuscitare intendunt vetus systema « probationum legalium », adeo florens in medio aevo sub germanici juris influxu, quodque hodierni Doctores merito incongruum omnino declarant (Roberti, *De processibus*, vol. II n. 328). Codex Jur. can., sicut moderniores codices civiles, propius ad jus romanum reversus est, quod judicem liberum relinquebat in aestimandis probationibus. Hoc fecit Codex « sive explicite proclamans generale principium judicem debere ex sua morali certitudine sententiam pronuntiare (c. 1869 § 1), sive docens eumdem ex sua conscientia generatim debere aestimare probationes (c. 1869 § 3) » (l. c.).

Manent tamen quaedam probationes legales etiam in Codice, uti citatus auctor ibidem notat; sed tamquam exceptiones ad principium generale liberae aestimationis Judicis. Citatus enim canon 1869 § 3, postquam praeceperit « Probationes aestimare judex debet ex sua conscientia », addit: « nisi lex aliquid expresse statuat de efficacia alicujus probationis ».

Decisiones Rotales certe non inclinantur extendere ambitum istius exceptionis, ad normam canonis 19. Potius paucas superstites probationes legales interpretari et applicare solent ea ratione ut judicis conscientia a praefixis rigidisque schematibus non ligetur.

Quare jam nunc dicere possumus declarationes seu affirmationes de valore aliquorum mediorum probationis, quae in rotalibus sententiis passim leguntur, etsi interdum veterum jurisperitorum citationibus suffultas, nedum resuscitent antiquum illud systema probationum legalium, auxilium tantummodo offerre judici in aestimandis oblatis probationibus quo facilius efformetur in ejus animo certitudo de objectiva factorum veritate.

Quod putamus fore ut clarescat in mox instituendo examine singularum probationum, in ordine expositarum quem Codex adhibet.

De confessione judiciali partium

In causis de negotiis privatis, haec, quam antiqui reginam probationum dicebant, dummodo requisitis munita can. 1751, alteram partem relevat ab onere probandi. Est exemplum probationis legalis adhuc in Codicis systemate vigentis (Roberti, l. cit.).

Ipse tamen can. 1751 gravem statuit exceptionem destruens ita vim probationis legalis confessionis judicialis, si in causa sit bonum publicum: id quod semper accidit in processibus de valore vel de dissolutione vinculi matrimonialis. Ratio obvia est.

Exemplum limitationis efficaciae confessionis habetur in eodem Codice in can. 1975 § 2. Instructio autem Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936 in art. 117 statuere quasi videtur probationem legalem negativam: « Depositio judicialis conjugum non est apta ad probationem contra valorem matrimonii constituendam ». Istud tamen praeceptum Rotalis jurisprudentia rationabbiliter interpretatur, eo sensu quod *de se sola* conjugum confessio judicialis non constituit probationem plenam, sed praesertim in quibusdam capitibus nullitatis grave habet pondus quippe quae initium vel fundamentum constituit probationis, aliis, uti par est, mediis probatoriis complendae.

Quod inprimis intelligitur in causis impotentiae ob incapacitatem penetrationis et in causis inconsummationis. Attenta materia, nemo testificari directe potest de modo quo res revera sese habuerint, nisi ipsi conjuges. Hinc, id quod argumentum morale nuncupant conficitur « ex *jurata conjugum assertione*, testimonio vallata septimae manus aliisque argumentis », prout legitur in Dec. XV coram R. P.D. Teodori (pag. 149 n. 4) necnon in Dec. LXX coram R. P. D. Wynen (pag. 753 n. 4), quae breviter reproducunt normam canonis 1975.

Sed etiam in causis vitiati consensus, confessioni partis de cujus consensu controvertitur plurimum defertur. Itaque, in causis de metu, « *plurimum deferatur juratae depositioni* patientis, si cum ea depositiones domesticorum adjunctaque causae concurrant, uti constans nostra jurisprudentia tenet », ceu legitur in Dec. XXIX coram R. P. D. Jullien in causa Cloynen. (p. 301 n. 2). Idem plus minusve cunctae Deciciones de metu repetunt. In una tamen coram R. P. D. Pecorari legitur limitatio haec: « Ad probandum factum incussi metus, satis non est depositio, quamvis jurata, partis quae metum se passam fuisse affirmat; agitur enim de nudo facto, quod nonnisi per testes vel documenta in foro externo probari potest. Magni quidem facienda est depositio illius qui metum passus est, ut auctores dicunt; sed quando quaestio sit de subjectiva gravitate ipsius metus aestimanda » (Dec. II, pag. 20 n. 2).

Similes declarationes ac in causis metus visae, etsi aliquatenus rigidiores attenta natura causarum, leguntur in Decisionibus circa defectum consensus ob simulationem vel exclusionem proprietatum sut bonorum essentialium matrimonii vel ob condiciones non verificatas. Satis sit citare Dec. LXX coram R. P. D. Wynen quippe lucidiorem quoad allatas rationes: « Fundamentum hujus probationis (agebatur de causa simulationis) est *confessio* illius qui ficte consensisse dicitur. Non est immorandum in citandis textibus juris ex quibus scatet confessionem asserti simulantis numquam constituere veram probationem pro nullitate consensus matrimonialis. Etenim qui confitetur suam culpam non solum est pars in causa, sed insuper periculum est ne post infaustum exitum sui matrimonii hodie simulationem consensus falso sibi adscribat, ut a jugo matrimoniali se liberet » (p. 752 n. 3).

Aestimatio confessionis judicialis contra vinculum prolatae, variat juxta personales partis confitentis qualitates. Omnes fere Decisiones examinant an ista honesta sit, sin minus verax et perjurii incapax. Ita, in causa de excluso bono prolis, notat Dec. XXIII coram R. P. D.

Wynen: « Ex declarationibus testium omni exceptione maiorum in primis patet Marcum (actorem) esse honestate et religiositate praeclarum. Omissis laudibus an aliis testibus pronuntiatis, sufficit audire quae Episcopus Z in judicio de viro dixit: « L'ho trovato sempre perfetto gentiluomo e di sentimenti profondamente cristiani: lo stimo di conseguenza incapace di commettere il delitto di giurare il falso » (p. 235).

Saepe Judices aestimant valorem confessionis ex tenore ipso confessionis, puta si confitens etiam res suae thesi contrarias patefaciat. Ita, in Dec. LXXIV coram R. P. D. Jullien in causa *Lausannen., Geneven. et Friburgen.* legitur: « Quamvis nunc Victor adhaereat alteri mulieri, quam ducere valde optat, tamen amplissimo testimonio, quo ejus credibilitas ab Exc.mo Ordinario ornatur, plene respondet ratio qua in depositione judiciali etiam quae contra intentionem facerent non tacuit » (p. 787 n. 8).

Videamus nunc quomodo Decisiones aestiment defectum confessionis judicialis alterius partis vel confessionem pro vinculi valore ab altera parte prolatam, in causis semper vitiati consensus.

In causis metus, notandum est saepe alteram partem fateri se nihil scire de metu alteri incusso. Decisio IV coram R. P. D. Quattrocolo affirmat hanc ignorantiam sive in bona sive in mala fide jactatam non obesse probationi metus: « Haud absonum etenim est hisce in matrimonialibus causis, quod pars conventa contendat nullam coactionem aversionemque in altera parte exstitisse, ne exinde in ejusdem redundet dedecore quod nolentem et coactam puellam in matrimonium ipse duxerit. Ceteroquin, praeterquam quod matrimonialis libertas consensus recitatis verbis haud concluditur, stat e contra quod clanculum coactio exercetur ne extra domesticos parietes perfluat... » (pag. 46, n. 8).

In jam citata *Cloynen.* coram R. P. D. Jullien, Judices a tali confessione abstraxerunt explicite ob insinceritatem confitentis: « Haud vero mirum videatur si Patricius reus conventus dixerit: se penitus ignoravisse coactionem quam Helena (actricis mater), turpis commercii socia, intulisset filiae: hanc amore in ipsum captam, solam cum solo saepius fuisse et cum gaudio nuptias celebravisse, sed ob turpes amores postea separationi causam dedisse. At fidem non merentur haec asserta ab homine, moribus improbis imbuto, vitioque ebrietatis gravato; nec revera comprobantur a testibus, etsi quidam dicunt se vidisse Catharinam (actricem) cum Patricio deambulare, quin tamen sponsi signa amoris manifestaverint » (pp. 304-305 n. 11).

Pretium operis est videre quomodo Dec. XXIII coram R. P. D. Wynen non necessariam judicaverit depositionem partis conventae in causa boni prolis ab utroque contrahente exclusi: « Neque obstat declarationi nullitatis matrimonii factum quod mulier conventa a prima instantia pertinaciter contumax fuit et talis usque ad hodiernam diem remansit. Equidem mulier nulli citationi oboedivit neque ad dubium in N. S .T. concordatum eique notificatum quidquam respondit... Sed mulieris recusatio comparendi in judicio sufficienter explicatur ex odio quo prosequitur virum, postquam is, eam derelinquendo in Italiam reversus est. Insuper non est exclusum, mulierem timere ne in iudicio inter-

rogetur de gestis non laudabilibus vitae suae antenuptialis, quorum notita brevi post nuptias ad aures viri pervenit et hunc ab ea alienavit.

Etiamsi vero mulier in iudicio comparuisset et forsan declarasset se tantum ficte conditionem a viro appositam acceptasse et pactum subsecutum solum simulate iniisse, matrimonium nihilominus esset nullum. Etenim, ex una parte « sufficit ut consensus *in una* parte deficiat ut matrimonium nullum sit » (GASPARRI, *De matr.*, ed 1932, vol. II, n. 895), et ex altera parte in muliere saltem deerat iurium matrimonialium comparti tradendorum *voluntatis declaratio* (cfr. LEHMKUHL, *Theol. mor.*, ed 12, vol. II, n. 879) » (pp. 239-240, n. 10).

In aliis casibus, cum scilicet causa vertit unice super consensu partis quae pro vinculo deponit, uti obvium est, res fit complexior, ast probatio non declaratur impossibilis a priori: « Defectus confessionis - ita jam citata Dec. LXX coram R. P. D. WYNEN - probationem simulationis reddit multo difficiliorem, praesertim si respectivi quoque conjugis intersit ut nullitas matrimonii pronuntietur. Agitur nempe de statu interno animi, quem assertus simulans prae omnibus aliis personis cognoscit, et si ipse praetensae suae fictionis non est sibi conscius, nescitur quomodo testes simulationem ejus consensus probare valeant. Id tamen non valet de casu, in quo simulans, v. g. ob odium in compartem, detrectat confiteri suam simulationem, de hac autem ex ejus confessionibus extrajudicialibus, praecipue antenuptialibus, a testibus in judicio relatis, sufficienter constat » (p. 752 n. 3).

Casus e contra verae impossibilitatis adipiscendae probationis ab eadem Decisione recensetur: « Sin autem ille, qui ob putatam simulationem consensus a se commissam matrimonii nullitatem denuntiavit, in excussione judiciali tales declarationes rei dat, ut asserta simulatio amandanda sit, patet hunc defectum vel potius hanc denegationem simulationis quamlibet probationem in contrarium reddere impossibilem » (ibid.).

Magis adhuc perspicua circa valorem non absolutum confessionis judicialis negativae et ob plura exempla allata ad evertendam vim hujus confessionis, leguntur in Decisione XXV coram R. P. D. JULLIEN: « Difficilioris vero probationis est exclusio juris coëundi, si pars quae exclusisset, negat. Magni enim ponderis est partis confessio pro vinculo, praesertim quoad capita nullitatis quae ex voluntate partis oriuntur, cum de eis nemo melius scire videatur. Verum confessio ista negativa, cum in causa matrimoniali sit bonum publicum, viam non praecludit, sed aliis argumentis corroboranda est (cc. 1751; 1747, 3°). Adjuncta igitur sedulo perpendantur oportet: siquidem confessio pro matrimonio tribui potest errori; utilitative ne scilicet fortunae amittantur; immo vindictae, atque odio, ne pars ad alia vota transeat. Videat judex, an pro parte nullitatem asserente adsint argumenta concludentissima de causa exclusionis juris deque certis ejus manifestationibus, ita ut, non obstante denegatione contraria, certitudo moralis haberi possit de positiva voluntate, seu de conditione, qua pars, nunc negans, revera ante celebrationem jus matrimoniale excluserit » (p. 259).

Nec deest casus in quo Judex sibi suaserit conventum virum negan-

tem se prolem in perpetuum exclusisse verum dixisse, quamvis ageretur de viro per se fide indignum: « Perperam autem diceretur virum conventum nullam fidem mereri, ejus indole attenta inhonestis relationibus prona. Hisce enim quantumvis exstantibus, nihil impedit quominus coram judice et sub sanctitate juramenti sese veracem ipse ostenderit, prouti de facto se gessit patratas turpitudines suas tum ante tum perdurante maritali consortio in judicio fatendo. Alia ex parte haud est praetereundum plurimum ex jure deferri conjugibus hisce in matrimonialibus causis, quando praesertim res est de recondita investiganda intentione super consensu matrimoniali, de quo nostro in foro disceptatur et quaeritur, cum soli ipsimet conjuges hac in re auctores sint internorum factorum quae materiam judicii proprie efformant, quaeque directe et principaliter nonnisi ex conjugum examine et confessione jurejurando vallata dignosci judicialiter valent ». Ita in Dec. LXVI coram R. P. D. Quattrocolo (p. 720 n. 10).

Animadvertendum tamen est Judices in casu credidisse convento etiam quia ejus asserta confirmata fuerant a duobus testibus, prouti eruitur ex iis quae immediate sequuntur verba mox citata (ib). Praeterea, Decisio infirmata est a subsequente Turno Rotali coram Exc. P. D. Jullien Decano diei 16 aprilis 1945, qui sententiavit matrimonii accusati nullitatem.

Quid si confitens pro vinculo suam confessionem retractet? Casus ejusmodi legitur in Decisione LVI in causa *Novarien.* coram R. P. D. Jaanasik, quae quamlibet vim negat illi retractationi, tum quia praecedens confessio legitima fuerat ad normam can. 1750, tum quia retractatio non est praedita qualitalibus requisitis a can. 1752. Ita Decisio: « Invaluit in foro nostro axioma: « Propria confessio est optima probatio. Nam nulla est alia probatio, quam proprii oris confessio, immo dicitur plenissima probatio » (cfr. Reiffenstuel, lib. II tit. XVIII *De confessis*, § 1, *De natura et divisione confessionis*). A jure requisita pro validitate confessionis per ream conventam factae, in specie ejus scientia et spontaneitas... in casu observata fuerunt, ita ut de effectu juridico hujus confessionis dubitari nequeat. Itaque cum rea conventa, post publicationem sententiae validitatem matrimonii affirmantis, ad nova quaesita contra can. 1775 nimis longa, immo aliquatenus et suggestiva respondendo super eisdem articulis, assertiones suas in prima confessione coram judice factas elidere intendisset, responsa haec nullius valoris judici habenda sunt... Si rea conventa ex sua confessione judiciali aliquid revocare voluit, id in examine judiciali primo et nonnisi incontinenti facere debuit, vel saltem in eadem prima instantia. Immo et coram H. S. Tribunali revocare posset, ac probare deberet, per errorem facti alicujus se confessam fuisse. Cfr. Reiffenstuel, § III. *De effectibus et revocatione confessionis judicialis*, n. 77, 79, 80. Quam jurisprudentiam et can. 1752 cavet... » (pag. 635).

Patet nonnullas affirmationes in hac Decisione contentas de absoluto valore confessionis intelligendas esse sub lumine principiorum in citatis supra aliis sententiis expositorum. Agebatur enim de confessione pro

vinculo data a parte de cujus consensu controvertebatur in causa, cujusque non intererat mentiri cum confessionem protulit superiorem.

Contradictiones denique inter confessionem judicialem et libellum parvipenduntur a Dec. VIII coram R. P. D. Heard, cum « libellus certe non ab actrice, sed ab advocato civili et juris canonici experto scriptus est » (p. 71 n. 7).

De Confessione Partium Extrajudiciali.

Dum judicis libertas coarctatur, esto in oppositos sensus, in aestimanda judiciali partium confessione, libertas ista plena e contra est in aestimanda earum confessione extrajudiciali (can. 1753).

Quod verum certe est pro causis matrimonialibus, uti docent Rotales Decisiones, non obstante formula aliquatenus restrictiva citatae Instructionis, quae in articulo 116 statuit: « Confessio extrajudicialis conjugis, quae adversus matrimonii valorem pugnet, prolata ante matrimonium contractum, vel post matrimonium, sed tempore non suspecto, probationis adminiculum constituit a judice recte aestimandum ».

In plerisque causis defectus consensus, probatio ipsa per testes nonnisi ad deductionem in judicium confessionis extrajudicialis conjugum reducitur, uti obvium est; quare a Decisionibus citandis eximi possumus.

In probando autem metu, saepissime illico post testes referentes minas aliave coactionis media, suum locum inveniunt testes referentes confessiones partis metum patientis vel passae, prouti ex. gr. in Decisione IV coram R. P. D. Quattrocolo in causa *Posnanien.*, ubi depositio recensetur parochi loci « qui fidem facit ante nuptias Isabellam (actricem) ei manifestasse parentes ad matrimonium ineundum eam cogere continuis instantiis et exprobrationibus » (pag. 45 n. 6).

In causis plerisque impotentiae et in causis inconsummationis, iis exceptis in quibus habeatur probatio quae per coarctata tempora nuncupatur, quid aliud referre in judicio valent testes « de scientia » nisi confessiones extrajudiciales de non consummato matrimonio a conjugibus receptas? In Decisione LXX coram R. P. D. Wynen, jam pluries citata, inter probationes vallantes « morale argumentum » uti praecipuae recensentur « depositiones testium qui tempore non suspecto de inconsummatione matrimonii certiores facti sunt » (p. 753 n. 4).

« Tempus suspectum » esse coepit cum pars de introducenda cogitat causa. Quod certe intelligendum est etiam relate ad alteram partem, dummodo haec non sit declarandae nullitati vel inconsummationi infensa. Quo in casu, hujus partis confessiones extrajudiciales quocumque prolatae tempore vim probandi non amittunt.

De Probatione per Testes.

Uti notum est, in causis matrimonialibus, perpaucis exceptis, haec probatio est maximi momenti. In causis autem vitiati consensus, quae sunt longe communiores, probatio haec essentialis est, nisi vitium documentis plene probetur, quod rarissime accidit.

Can. 1791 offert unum paucissimorum exemplorum legalis probatio-

nis quae in Codicem a vetere lege transierint, sive in § 1 plenam fidem negante uni testi non qualificato, sive in § 2 talem fidem tribuente duobus testibus.

Quoad limitationem legalem a § 1 statutam, videmus in recensito volumine Decisionem XX coram R. P. D. Quattrocolo in causa *Manilana* ita eam commentari et applicare: « Neque in casu facessit, quod confessioni conventae mulieris, quae de prava apposita conditione contra bonum prolis accusatur, testimonium accedit ejusdem matris; unde applicandum heic illud congrue esset quod « sufficit dictum unius testis in probatione causarum, in quibus vel nullo modo vel saltem difficulter haberi possunt plures testes » (Reiffenstuel, lib. II tit. XX n. 267). Nam idem Auctor, praeterquamquod in l. c. n. 280 accuratius explicavit, quod dictum unius testis, ceteroquin idonei, in probatione causarum sufficit dumtaxat in causis levioribus, in quibus solum de modico praejudicio tertii agitur sicut et in causis summariis, quae de plano et sola veritate inspecta expediuntur, in lib. IV tit. XIX n. 17, 18, *De divortiis*, diserte e contra Nos admonet: « Ad hoc ut judex ecclesiasticus vinculum matrimoniale dissolvat, debet eidem de impedimento dirimente constare per probationem plenam et perfectam, qualis est quae fit per duos testes omni exceptione majores... Ratio est quia causa dissolvendi matrimonii quoad vinculum est una e gravioribus, et in praejudicium magnum tum tertii, tum sacramenti redundantibus, consequenter exigit plenam probationem. Quae si probatio fiat per testes, debet fieri per testes saltem duos, omni exceptione majores. Quia unus testis, quantumvis habilis, non facit plenam probationem ». Hinc est quod recentiore jure, seu per can. 1791 § 1 C. J. C., expresse decernitur quod unius testis depositio plenam fidem non facit, seu sufficientem probationem haud suppeditat; nisi agatur de teste qualificato, qui deponat de rebus ex officio gestis, quatenus officium quoddam publicum et juratum exerceat. Ratio est, quia in tali persona ita constituta ad publicam fidem faciendam in rebus ad officium suum pertinentibus ac juramento adstricta, juris adest praesumptio ob quam lex praecipit ut ei credatur. At nisi agatur de teste qualificato, seu de hac exceptione, altera viget juxta eundem canonem praeceptiva regula circa valorem attestationum, qua scilicet sufficiens probatio obtineri potest dumtaxat per duos vel tres testes, vel per pleniorem probationem ad judicis arbitrium, haud omnino liberum et absolutum, sed regulatum secundum jura, rationem et aequitatem... Unde Judex in probatione adipiscenda vel legali vel morali a definito numero testium divertere nequit; prouti certitudinem moralem circa rem sententia definiendam haurire tenetur sive *ex actis*, seu ex assertionibus et negationibus, sive *ex probatis*, seu ex instrumentis, depositionibus testium, ceterisque argumentis » (pp. 203-204 nn. 6-7).

Quod spectat ad numerum minimum testium in causis matrimonialibus, textus ipse § 2 canonis 1791 judicem non adstringit absolute numero duorum vel trium, sed eum liberum linquit exigendi « pleniorem probationem » (quae de cetero etiam per alia media, puta per indicia vel praesumptiones, suppeditari posset) « in aliqua causa ob maximam negotii gravitatem ». Atqui hujusmodi causae inter graviores recensentur.

Plura passim leguntur in recensito volumine de aestimatione testium quod spectat ad eorum veracitatem vel firmitatem seu cohaerentiam in deponendo. Agitur, uti patet, de judiciis meri facti, quorum specifica mentio heic omitti potest.

Ita etiam saepe Decisiones vim tollunt vel minuunt testimoniis, si quaesita fuerint suggestiva (ex. gr. in cit. Dec. XX, pag. 206 nn. 11-12).

« Jamvero - legitur in Dec. LXXIV coram R. P. D. Jullien, jam citata - testes fide digni perhibentur, maxime ratione qua deponentes quae audierunt pro modo ingenii et memoriae fideliter retulerunt, nil ultra asserentes » (p. 786 n. 8).

Quod spectat ad personas a testimonio ferendo repellendas, nota dignum est quod legitur in jam citatam Dec. XXIX in causa *Cloynen.* coram R. P. D. Jullien: « Verum si canone 1757 § 1 quo jus vetus refertur, impuberes ut non idonei repelluntur a testimonio ferendo, non repelluntur puberes de iis quae in impubertate viderunt. Ab eis enim non quaeritur judicium dare sed referre facta ab eis percepta: atqui, uti experientia constat, pueri, naturali inadvertentia non obstante, multa possunt percipere, recte intelligere memoriaque retinere. Prudentis igitur judicis est aestimare, quam fidem mereatur testificatio puberum de iis quae ante puberem aetatem viderunt. Cfr. Reiffenstuel, lib. II, tit. 20 *De testibus*, n. 77; Benedictus XIV, *De Servorum Dei beat. et can.* lib. III, cap. VI, n. 3... » (pag. 302, n. 7).

De peritiis.

In ista probatione aestimanda, judex a lege plenam recipit libertatem (can. 1804 Cod.; art. 154 cit. Instructionis) Qua reapse Decisiones se plene fruit ostendunt.

Limitatio aliqua revera adest, sed provenit ex ipsa huius probationis natura; cum enim agatur de directa inspectione quae ab una persona technica fieri potest, necessario judex ei credere debet. Itaque, ex. gr. in causis impotentiae instrumentalis, standum est descriptioni genitalium organorum eorumque laesionum a perito relatae, saltem quousque alius peritus aliam de iisdem rebus perhibuerit relationem. In tali provincia mere technica, valet antiquum axioma, quod interdum in Decisionibus praesertim antiquioribus invenitur: « Peritis in arte sua credendum est ».

Similiter peritis standum esset quoad considerationes scientificas quas ipsi uti fundamentum ponant suarum deductionum. In hisce quoque vetus illud axioma valere deberet. Attamen interdum Judices, opinionibus aliorum medicorum, praesertim in medicinae tractatibus expressis, innixi, examini critico subiiciunt scientificas quoque affirmationes peritorum. Exemplum sat frequens hujus criseos habetur in causis de impotentia psychica vel functionali stricte dicta vertentibus, praesertim ubi agatur de proferendo judicio circa ejusdem vitii perpetuitatem. Periti saepe hanc qualitatem in concretis casibus affirmant. Raro e contra haec affirmatio a Rotalibus Decisionibus acceptatur. Ita, in Decisionibus XXX coram R. P. D. Roberti (pag. 310 n. 10) et XXXIX coram R. P. D. Pecorari (pagg. 395, 397, 399), quamvis periti virum a functionali impotentia

(relativa saltem erga uxorem) consanescere non posse declaraverint summa cum probabilitate certitudinem moralem attingente (non scientificam seu mathematicam, quae expresse excluditur a can. 1869), Judices edixere non constare de nullitate matrimonii ob viri impotentiam et maluere dispensationem super rato Summo Pontifici largiendam consulere.

Etiam in causis nullitatis matrimonii ob amentiam ista judicis independentia a peritis vindicatur. Ita, legitur in Decisione XLIV coram R. P. D. Teodori: « Si acta praedicta (scilicet suspicionem amentiae in aliqua persona gignentia) multa non fuerunt, si aliam admittant explicationem, tunc, praesertim si vita hominis normalis videtur, concludi certo nequit pro amentia » (pag. 469 n. 5). Notat etiam eadem Decisio « medicos non raro inter se discrepare cum in morbis corporis tum in mentis infirmitatibus dignoscendis. Peritiae dubitatio crescit, si agitur de voto super conditione mentis alicuius infirmi, postquam ab hujus infirmitate plures elapsi sunt anni; si nec tunc nec nunc ullus medicus infirmum visitavit; si ille, qui dicitur mente captus, numquam in amentium asylum fuit inclusus » (pp. 469-470 n. 6).

Plenissima tandem et indubia est libertas judicis in aestimandis peritiis, ubi agatur de verificanda logica coordinatione deductionum et conclusionum periti, vel ubi peritus suas conclusiones fundet, partim saltem, super elementis non technicis: ex. gr. declarationibus partium vel testium. Utroque in casu, peritus versatur extra artem suam: utitur enim suis facultatibus ratiotinandi et efformandi judicia logica, quae probe discrepare possunt a judiciis alterius personae, suis ratiocinandi facultatibus pariter usae: ita, ex. gr., Judex, retinens falsa aut non probata asserta partium vel testium quibus essentialiter inniteretur peritus, recte potest hujus conclusiones reiicere.

Legitur in Decisione XXXVIII coram R. P. D. Teodori: « In peritis non sufficit scientia et probitas, sed insuper requiritur plena informatio... Quae quidem plena informatio certo desideratur quando periti inspectionem corporalem quacumque de causa non peregerunt, et relationem dederunt solummodo actis innixi. Quamobrem conclusiones peritorum examini sunt subjiciendae; licet namque peritis in arte sit credendum, accidere tamen potest ut facta, quibus peritia innititur, aut vera non sint, aut sufficienter non probata » (pag. 384 n. 5). In casu autem concreto: « Prof. S. concludit pro perpetuitate (impotentiae functionalis) ex decursu et ex tempore. Verum decursus et tempus in medium possent proferri, si omnia vel plura remedia incassum quis expertus sit ad impotentiam sanandam. Si autem, prout in praesenti casu, numquam patiens curationi se subjecit; si medicus ipsam organorum structuram ignorat, et ideo nullum specificum remedium praecipit, fieri nequit conclusio pro impotentia insanibili et perpetua » (p. 388 n. 9).

Aliud exemplum concretum habetur in Decisione XII coram R. P. D. Canestri, in qua de quodam peritiore dicitur: « Ipse concludit pro impotentia psychica relativa, sed animadvertit: « Vano sarebbe pretendere una dimostrazione obbiettiva della impotenza di origine psichica e più specialmente poi nei casi di impotenza relativa ». Et tunc quasi ad effu-

gium habendum, de perito fit interpres canonum et judex, dicens frustra jus nostrum impotentiam relativam computasse inter impedimenta matrimonialia, si ex probabili scientiae medicae demonstratione, per ceteras juridicas probationes complenda, deveniri non posset ad conclusionem certam talis incapacitatis; quod in casu juxta peritum esset obtentum. Et insistit semper in probabilitate, esto summa, quam exhibere tantum potest ejus scientia. Sed Judicibus labiles, potiusquam probabiles, peritorum rationes nullimodo completae in casu apparent ex ceteris argumentis in processu adquisitis, consideratis praecipue contradictionibus et indiciis suspicionis ex universo processu emergentibus » (pag. 120-121).

Major adhuc est libertas judicum in aestimandis peritiis extrajudicialibus necnon opinionibus expressis a medicis a curatione, qui uti testes audiri possunt in causis impotentiae, debent in causis amentiae. Exemplum talis libertatis habetur in Decisione XLIX coram R. P. D. Quattrocolo (pagg. 528-52 9 n. 8). Imam de hoc rationem nobis perhibet citata Decisio XLIV coram R. P. D. Teodori: « Isti plerumque apti non sunt ut tamquam periti veri agant, quia timendum est ne, vocati ab infirmi familiaribus, in voto dando non sint omnino liberi a partium studio » (p. 469 n. 6). Imo notat sententia peritos stricto sensu eos tantummodo esse, qui a judice constituuntur (ibid.).

De probatione per documenta

Prout notat cl. Roberti (op. cit. n. 328), documenta *publica* constituunt unam ex paucissimis probationibus legalibus adhuc in Codicis systemate superstitibus, quamvis plena fides eis tributa coarctetur intra limites a canone 1816 statutos, praeterquam quod semper admittitur probatio directa ad eorundem documentorum falsitatem demonstrandam, dummodo evidentibus argumentis innixa (can. 1814).

Auctoritas probationis instrumentalis publicae maxima est in Rotali jurisprudentia. Exemplum excipimus e Decisione XL coram E. P. D. Grazioli *Decano*, ubi declarationes plurium testium, et quidem qualificatorum, nullius ponderis habitae sunt quia contradicebant affirmationibus contentis in libris matrimoniorum, « quae indubie sunt documenta publica » (pag. 417 n. 11).

Alteri classi documentorum, seu documentis *privatis*, per se lex eamdem agnoscit probandi vim ac confessioni extrajudiciali (can. 1817). De facto, in re matrimoniali, Decisiones magnam tribuunt vim probandi hujusmodi documentis - quae inter eminent epistulae partium, ad normam artt. 163-164 citatae Instructionis -, majorem generatim quam testibus.

Itaque, Decisio XXIII coram R. P. D. Wynen, post examinata testimonia, ait: « Omne autem dubium in contrarium evanescere censent Patres, si simul perpendantur litterae a viro ante nuptias scriptae, ex quibus exclusio boni prolis radicitus facta apparet » (pag. 238 n. 7). Accuratissime proinde in subsequente n. 8 Decisio examinat quaestionem genuinitatis litterarum seu an ipsae scriptae revera fuerint tempore in iisdem indicato: in casu, peritia chemica fieri nequivit ob deperdita

documentorum originalia ob cancelleriae errorem, sed Judices pariter sibi suaserunt litteras falsas esse non potuisse (pagg. 238-239).

Isti autem examini chemico subiici potuerunt litterae productae in causa a Decisione LXXVII coram R. P. D. Jullien definita. In qua legitur: « De tempore quo haec scripta fuerunt, periti bini deputati certam sententiam dare non potuerunt; attamen alter, nec contradixit alter, existimavit magis probabile epistulam illam datam fuisse ante matrimonium. Revera, quae in ea leguntur plene respondent iis quae ex ceteris actis depromuntur; atque perpensa ea quae gaudet actor fide, cui prorsus repugnaret falsarum litterarum productio: legitime concluditur saepe dictam epistulam valere ut indicium non leve quidem, atque adminiculum attestationum » (pag. 813 n. 7). De vi probandi intentionem bono sacramenti infensam qua actor matrimonium in casu contraxerat, ambigi nequit, siquidem ipse in dicto documento scribebat matri suae: « Je sais trop bien que j'ai fait et que je fais une immense gaffe, mais je ne vois pas le moyen de m'en sortir maintenant. La seule chose que je ferai une fois marié, c'est de divorcer le plus tôt possible » (pp. 812-813 n. 7).

Decretorium e contra, in opposito sensu, seu ad probandam absentiam intentionis divertendi, habitum est aliud documentum seu epistula in Decisione LXXXI coram R. P. D. Quattrocolo (pag. 856 n. 5 et pag. 860 n. 11).

Gravissimae habitae sunt ad probandum metum epistulae actricis in causa definita Decisione LIX coram Grazioli *Decano* (p. 657 n. 3 et ss).

Antequam hoc caput concludamus, memoramus Decisionem I coram R. P. D. Wynen, quae sequentia statuit de litteris anonymis: « Epistolae anonymae utique semper sunt suspectae et saepe falsae et calumniosae » (pag. 11 n. 9).

De praesumptionibus

Quod spectat ad primam praesumptionum classem, seu ad *praesumptiones juris*, breviter recolimus eas quae saepe recurrunt in materia matrimoniali, quae longe praevalet in recensiti voluminis Decisionibus. Vix dicendum in hac materia non esse locum nisi praesumptionibus *juris tantum*. Tales sunt:

a) praesumptio generalis validitatis matrimonii, a canone 1014 statuta; saepissime citata:

b) praesumptio non ignoratae substantiae matrimonii in aetate pubere, statuta a canone 1082 § 2 (cfr. Dec. III coram E. P. D. Grazioli *Decano*, pag. 33 n. 2):

c) praesumptio conformitatis consensus interni cum verbis signisve in celebrando matrimonio adhibitis, statuta a canone 1086 § 2, quae frequentissime citatur in Decisionibus (ex. gr. Dec. XIV coram R. P. D. Quattrocolo pag. 142 n. 2: Dec. XXII coram R. P. D. Wynen pag. 226 n. 2):

d) praesumptio consummati matrimonii in casu cohabitationis conjugum (ex. gr. Dec. XXVII coram R. P. D. Teodori, pag. 273 n. 5).

Casus probationis indirectae adversus hanc praesumptionem, scilicet demonstrando conjuges numquam cohabitasse (quae dicitur probatio « per coarctata tempora ») habetur in Decisione LXX coram R. P. D. Wynen (pag. 753 n. 4).

Vix addendum concursum praesumptionum juris - et quidem cum praesumptionibus de quibus in b) et c) semper concurrit praesumptio a), si formalis adfuit matrimonii coram Ecclesia celebratio - haud minuere probationis contrariae possibilitatem.

Alia ex parte, si valor matrimonii pendet a valore alterius actus juridici, hic quoque habet de se in suum favorem distinctam praesumptionem validitatis; uti legitur in Decisione XIII coram R. P. D. Wynen in causa *Burdigalen.* jam initio citata: « Ad declarandam nullitatem matrimonii non prodest ostendere, quod ob certum quoddam dubium de existentia causae canonicae dispensatio fuerit dubie valida. Etenim non solum juxta principium generale in dubio standum est pro validitate matrimonii contracti (can. 1014), sed insuper in specie standum est pro valore cujuscumque actus juridici, quemadmodum antiqua Signatura Apostolica praeclare monuit: « In materia circumscriptionis odiosissima, quaelibet benigna interpretatio pro actorum validitate sumenda est, ut, ad doctrinam Juliani, 1. 15 ff. De reb. dub., actus potius valeat quam pereat »... Sin autem certo constet de defectu cujuscumque causae canonicae, standum est pro invaliditate dispensationis, quae non ab ipso Legislatore sed a Praelato inferiore concessa fuit, quae invaliditas necessario secum trahit etiam invaliditatem consequentis matrimonii » (pag. 139 n. 17).

Quod autem spectat in genere ad alteram praesumptionum classem, seu ad *praesumptiones hominis*, « impossibile est eas enumerare », ut scribit cl. Roberti (op. cit. n. 378 B); nec eas omnes recensere possumus quae in recensito volumine inveniuntur; idem enim esset ac ingredi velle in meritum cujuscumque fere causae et pedetentim sequi Judicum ratiocinationes et conjecturas, per quas ad suas conclusiones pervenerint. Quare pauca tantum hinc inde colligimus, quae aliquem valorem praeter casum in concreto definitum portendere videntur, memores tamen sapientis ejusdem cl. magistri monitionis: « Classificatio prasumptionum juxta earum valorem est impossibilis; easdem tantum judex recte perpendere potest. Idem dicatur de valore plurium praesumptionum, si inter se comparentur, quia omnino ineptus et erroneus est usus procedendi in his regulis generalibus, cum tota quaestio semper ex singulorum casuum circumstantiis dependeat » (ibid.).

Itaque sequentia leguntur in Decisione XXI coram E. P. D. Grazioli *Decano*, quae vim generalem habent: « Sive metus sive a fortiori simulationis probatio haud est facilis, quippe animi motuum de se seu essentialiter internorum, at hujusmodi difficultas non est exaggeranda, praesertim si circumstantiae adsint quae unice per assertum consensus vitium explicari possunt. In quo judicio ferendo *Judex uti potest et debet praesumptionibus, quas ipse coniiciat*, attamen servato praescripto canonis 1828, caventis: « Praesumptiones, quae non statuuntur a jure,

judex ne conjiciat, nisi ex facto *certo* et determinato, quod cum eo, de quo controversia est, directe cohaereat ». De qua *certitudine* vix adnotetur oportet eam esse debere moralem, eam nempe quae non omnem possibilitatem contrarii excludat, sed tantummodo positivam probabilitatem.

« Praesumptionum hujusmodi momentum in hisce causis recte illustravit Instructio Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 augusti 1936, in art. 174: « Praesumptionibus *hominis* est potissimum locus in causis, quae spectant ad consensus defectum. Ad eas constabiliendas instructoris est curare, ut circumstantiae proferantur in lucem, quae matrimonium praecesserunt, comitatae vel secutae sunt »; necnon in art. 59, ubi admittit libellum causae introductorium etiam solis praesumptionibus inniti posse.

« Nostri quoque S. Tribunalis jurisprudentia vim praesumptionum saepissime vindicavit; legitur sane in una *Null. matr.* diei 23 maji 1941 coram Wynen: « Qui id negare praesumpserit - id est quod Judex ex circumstantiis deducere valeat gravem imo vehementem praesumptionem hominis quae pariat in eo certitudinem moralem - eo ipso negat possibilitatem cujuscumque fere probationis in judicio, nam absque efformatione praesumptionum, praecipue vehementium, Judex non amplius valet jus dicere » (n. 13).

Evidenter praesumptio hominis superare potest praesumptionem juris. Secus, praesertim in re matrimoniali, ubi plures praesumptiones juris sacramenti valorem tuentur, vix dari posset judicium invaliditatis. Hoc clare vindicatum est in alia Decisione coram R. P. D. Wynen, pariter anni 1941 (praecise XXXIII, pariter citata in nostra recensione superioris voluminis), cujus verba praestat referre: « Haec tamen disputatio juris concludi non potest, quin dicantur quaedam verba etiam circa « praesumptiones hominis », ne scilicet Patres Turni praesentis suo silentio approbare videantur quae hac de re in sententia Turni antecedentis inveniuntur. Patres appellati, qui adeo contrarii sunt praesumptionibus hominis, sub influxu fuisse videntur alicujus libelli cui titulus *Incipit lamentatio vinculi*, auctoris anonymi, ubi inter alia sub n. 64. proclamatur falsum principium: « Contra juris praesumptionem praesumptio hominis vix admittitur ». Si hoc principium esset verum, tunc in re matrimoniali, in qua plures habentur praesumptiones juris in favorem validitatis matrimonii, non intelligeretur, curnam tantum praesumptio hominis et non etiam aliae probationes excludi deberent. E contra, nulla praesumptio juris - non confundenda cum praesumptione juris et de jure - praetendit se esse normam generalem pro omni casu, sed potius semper admittit probationem contrariam. Ultro conceditur quod apud Wernz-Vidal dicitur: « Quemadmodum in aliis probationum generibus contrarietas quaedam existere potest, cum v. gr. testis testi contradicat, ita in praesumptionibus conflictus non raro vitari nequit » (vol. VI, n. 521). Et si duae praesumptiones inter se contrariae secum comparantur, norma generalis est quod « fortior praesumptio vincat necesse est minorem. Hinc cum praesumptio juris fortior sit praesumptione facti, generi per speciem derogetur » (loc. cit.). Sed « *si prae-*

sumptio hominis validior et verisimilior est, contra juris etiam praesumptionem praevalet » (SCHMALZGRUEBER, in lib. II tit. 23, *De praesumptionibus* n. 38); nam omnis praesumptio juris per se est generalis et superari potest per quamlibet certam probationem contrariam, in specie, per praesumptionem hominis violentam, « quae ex multis vel uno valde efficaci, et veritati proximo indicio formatur, et vehementer movet cogitque ad credulitatem, ita ut moraliter non relinquat dubium » (SCHMALZGRUEBER, l. c. n. 5). Audiatur adhuc LEGA, qui docet: « Si vero praesumptio (scl. hominis) est gravissima seu vehemens, tunc ipsa sufficit ad causam definiendam in foro ecclesiastico. In Decretalibus habentur textus, quibus statuitur vehementem praesumptionem efficere plenam probationem; uti vehementi praesumptioni innixus processit Salomon ad sententiam in suo celebri judicio. In nostro jure canone 1869 ponitur regula, judicem debere rem definire juxta moralem certitudinem ex actis et probatis desumptam: quocirca si ex actis judex hauriat vehementem praesumptionem, huic sententiam suam plane conformare valet. *Hoc etiam pro causis gravioribus, quales sunt matrimoniales, vim habet*, maxima tamen cum cautela et dummodo quodlibet positivum dubium ex adverso sit eliminatum » (*Commentarius in Judicia ecclestica juxta Codicem J. C.*, cura BARTOCCETTI editus, Romae 1939, vol. II pag. 821) ». (S. R. Rotae Dec. vol. XXXIII pp. 370-371 n. 10).

Interdum praesumptiones a judicibus conjectae non sunt nisi expressio alicujus praesumptionis juris sub alia forma, ex. gr. ubi asseritur in viro et in muliere semper praesumi potentiam coëundi, donec contrarium probetur: vel praesumi exclusionem meri exercitii iuris vel adimplementi obligationis in voluntate contraria bonis prolis et fidei, usque ad contrariam probationem, (ex. gr. Dec. XXII pag. 226 n. 2; Dec. XXV pag. 259 n. 2, etc.) et ita porro.

Supra vidimus quid statuatur a Decisione XIII anni 1942 coram R. P. D. WYNEN (*Burdigalen.*) in casu quod valor matrimonii pendeat a validitate alterius actus juridici. Validitas alterius hujus actus praesumitur, etiam vi distinctae praesumptionis.

Quid autem si desit alia probatio ipsius existentiae istius actus juridici, a quo pendeat valor matrimonii? Potest-ne praesumi existentia ipsa alicujus actus juridici formalis et expressi?

Casus iste pluries recurrit in recensito volumine ex. gr. in causis nullitatis matrimonii ob defectum formae propter assertam inexistentiam delegationis seu licentiae competentis Ordinarii vel parochi ad celebrantem sacerdotem. Delegatio ista a can. 1096 requiritur ut sit expresse data determinato sacerdoti ad matrimonium determinatum; non sufficit tacita, nec a fortiori praesumpta. Potest-ne tamen praesumi ejus existentia?

Quaestio theoretice diversas habuit solutiones. In Decisione LXXVIII coram E. P. D. GRAZIOLI *Decano* in causa *Carthaginen.* legitur: « Ex eadem delegationis natura, desumitur etiam eam de se praesumi non posse, ceu haud semel docuit hoc S. Tribunal (cfr. *Florentinam* coram GRAZIOLI *Decano*, diei 28 aprilis 1941; *Pompejanam* coram GRAZIOLI *Decano* diei 25 maji 1942). Quapropter qui eam exstitisse affirmat, probare

hoc debet; a qua probatione facillime sese expediret, si licentia ex scripto resultet documento a legitimo superiore ante celebrationem relaxato; at quaelibet alia probatio admittitur, quae Judicem tamen moraliter certum reddere valeat assertam delegationem revera intercessisse. Jamvero si ex jure licentia expressa esse debet, nequaquam tamen requiritur quod sit scripta; ideo valet etiam si oretenus vel etiam signis aequipollentibus concedatur, dummodo tamen non sit mere tacita, ceu dictum est » (pag. 830 n. 25).

Item in citata Pompejana: « Admittendum sane est nullam generalem praesumptionem in favorem concessae licentiae exsistere, quum agatur de re pro qua Ecclesiae lex praecisis quidem verbis praestituens actum expressum, nequit praesumi quod infectum fuerit supplere velle. Probatio igitur concessae licentiae incumbit de generali juris principio ei qui asserit eamdem locum habuisse (can. 1748 § 1). Praecisione quidem facta a documenti exsistentia, ex qua licentiam concessam fuisse eruitur, is cui onus hoc probandi incumbit, aliis quoque argumentis ostendere optime potest licentiam revera intercessisse, sive per testes, sive etiam per solas praesumptiones graves concordesque de quibus in canonibus 1825-1828, quas Judex conjicere valet etsi in jure non statutas, et ex quibus solis eam haurire potest certitudinem moralem de facto, puta, concessae oretenus licentiae vel documenti concessionis amissione. Ista quidem certitudo sufficiens est ad normam can. 1869, ut Judex pro concessae delegationis exsistentia concludat, ideoque pro matrimonii validitate » (pag. 412 n. 6).

E contra, in Decisione LXXVI coram R. P. D. Jullien in una *Senogallien.* legitur: « Matrimonium autem, in facie Ecclesiae celebratum, possidet, ideoque jura possessionis serventur oportet. Quare matrimonium illud gaudet juris favore, atque in dubio prudenti, quod nempe post diligens examen perseverat probabili fundamento nixum, standum est pro valore matrimonii, donec de contrario perspicue constet (can. 1014). Accusato igitur matrimonio ob defectum formae, ex parte Judicis haud requiritur ejus validitatem evinci; satis est ostendere prudens dubium circa assertum vitium, ut non constare de nullitate respondeatur » (pag. 803 n. 2).

Re sane vera, si dubia maneat exsistentia concessae delegationis ita ut Judex nequeat positive excludere eam reapse locum habuisse, quomodo ipse posset efformare illam certitudinem moralem de matrimonii nullitate quae omnino requiritur ad sententiam pro nullitate ferendam, ad normam canonis 1869 § 1?

In concreto autem notare praestat in Decisionibus tum *Pompeiana* tum *Senogalliensi*, praecisione facta ab ista theoretica discrepantia, satis fuisse nonnulla indicia ut judices praesumerent exsistentiam delegationis.

Ita in *Pompejana*, per se habita sunt indicia sufficientia ad praesumendam concessionem delegationis ex parte Vicarii Cardinalis Sanctuario praepositi: a) absentia Cardinalis die celebrationis et illis immediate praecedentibus: b) defectus cujuslibet interventus ejusdem Cardinalis in ordine ad matrimonium: c) praesentia Vicarii in Sanctuario pridie celebrationis, qui probe sciebat se postridie abscessurum: d) noti-

tia ex parte Vicarii quod matrimonium postride celebraturus esset quidam Episcopus sibi bene notus: e) consuetudo ex parte Vicarii dandi dispositiones pro recto caeremoniarum ordine: f) exsecutio de facto harumce dispositionum. Quibus visis, legitur in Sententia: « Vehementer idcirco praesumendum est has omnes dispositiones a R. P. D. Celli (Vicario) datas fuisse ante ejus profectum: ita autem agens videtur idem R. P. D. Celli licentiam ad nuptias assistendum legitime dedisse, quum dispositiones illae aequipollentia signa appareant expressae voluntatis ejusdem Celli praescriptam jure licentiam concedendi: dici etiam potest licentiam ad assistendum contentam fuisse in illa quodammodo ampliore permissione » (pag. 420-422).

De facto tamen, vehementior praesumptio contraria judicata est quae conjecta est ex sequentibus aliis circumstantiis: 1) defectus transcriptionis matrimonii in regestis, unde patuit numquam tradita Vicario fuisse documenta liberum contrahentium statum testantia; absque quibus documentis certo constitit illum numquam dedisse hujusmodi delegationes: 2) declaratione cujusdam sacerdotis addicti Sanctuario, qui illico post celebrationem Episcopum celebrantem monuerat de nuptiarum nullitate ob Vicarii licentiae defectum, quam monitionem celebrans erronee neglexerat.

In citata autem *Senogallien.* coram R. P. D. Jullien exsistentia delegationis praesumpta a Judicibus est ob sequentia adjuncta: 1) Sacerdos celebrans, quamvis in sua judiciali depositione se tantummodo celebrationem fecisse declaraverit, probatus est vacasse praeparandae caeremoniae et procurandis documentis; 2) ipse erat doctus et animarum boni diligens; 3) occasione cuiusdam baptismatis sibi conferendi in eadem ecclesia quo matrimonium celebratum est, solicitus fuerat in petenda licentia parochi sub cujus ditione idem templum versabatur; 4) saepe invisebat etiam ratione studiorum religiosos quibus concredita erat paroecia: quare prorsus verisimile erat parochum saltem oretenus licentiam ei dedisse; 5) ipse celebrans, dum non est recordatus se umquam cum religiosis paroeciam regentibus de matrimonio illo egisse (quod verisimile erat, cum quindecim anni elapsi essent), rem non exclusit; 6) ipse denique in quadam epistula quinque annis ante depositionem judicialem cuidam officiali curiae missa se appellabat a Parocho delegatum. Verum quidem est in nullo regesto matrimonium inscriptum fuisse, sed concluserunt Judices: « At vero hisce in adjunctis, ex defectu inscriptionis argui haud licet matrimonii nullitatem ob defectum licentiae necessariae, nam de ejus concessione sunt argumenta gravi fundamento nixa, quae minime solvuntur argumentis pro nullitate adductis » (p. 807 n. 8).

Semper in themate defectus formae, et quidem in citata *Carthaginen.*, argumentum princeps ad praesumendum numquam petitam ideoque nec concessam licentiam fuisse, nec pro matrimonio impugnato nec pro aliis a quodam cappellano in ecclesia item non paroeciali celebratis, stat in eo quod « R. D. Leroy (cappellanus celebrans) vel omittebat quamcumque delegationis mentionem vel tantum semet delegatum asserebat absque ulla delegantis commemoratione, vel demum saepe de-

legationem adnotabat parochi alterutrius contrahentis, sed *numquam adnotavit delegationem unius parochi competentis, id est parochi loci...* Scatet exinde vehementissima praesumptio, uti recte adnotant appellati Patres (id est Turni coram R. P. D. Wynen diei 1 februarii 1937), R. D. Leroy ignorasse vel non advertisse mutationem legislationis canonicae ad formam substantialem quod attinet a decreto *Ne temere* anno 1908 invectam, qua nempe competentiae parochi proprii sponsorum ratione domicilii substituta est competentia parochi loci; ac consequenter ipsum ne cogitasse quidem de necessitate petendi et obtinendi licentiam competentis parochi: nil enim volitum nisi praecognitum. Quae ignorantia, uti jure merito iidem appellati Patres adnotarunt, mira esse non potest in simplici cappellano post non diuturnum temporis spatium a decreto *Ne temere* praeterlapsum, si consideretur ipsum Cancellarium Curiae... tempore... multo posteriore eamdem ignorantiam adhuc ostendisse » (pag. 831 n. 28).

Hucusque vidimus, licet non ex professo, quosdam casus praesumptionum in causis nullitatis matrimonii *ex defectu formae*. Breviter videamus aliquot casus in aliis capitibus nullitatis.

Quod attinet ad caput *metus*, vere classica est dicenda praesumptio quam Judices conjiciunt ex aversione erga nuptias ab asserto metum passo tum ante tum post easdem manifestata. Omnes fere Decisiones praesumptionem istam commemorant: ita, II coram R. P. D. Pecorari (pag. 20 n. 2); V coram R. P. D. Janasik (pag. 48 n. 2; XIX coram R. P. Canestri (pag. 189 n. 7); etc.

Satis sit citare ex Dec. V coram R. P. D. Janasik: « *Indirecte* metus probatur per praesumptionem quae oritur ex *aversione* patientis proposito matrimonio » (p. 48 n. 2). Et ex II coram R. P. D. Pecorari: « Aversio mulieris erga sponsum, et ejus contrarietas circa matrimonium, directe metum non probant; argumentum tantum efficiunt praesumptivum incussi metus; constare autem debet talem aversionem gravem exsitisse; eamque locum habuisse sive ante nuptias sive occasione earum nuptiarum celebrationis, sive immediate post initum matrimonium » (pag. 20 n. 2).

Uti patet, etiam probata aversione, semper libera est contraria probatio, scl. contrahentem matrimonium sibi invisum libere elegisse ob motivum a metu diversum.

Pleraeque circumstantiae a Decisionibus examinatae ad illustrandam aversionem aut ejusdem inexsistentiam vel minorem gravitatem inserviunt.

Nonnullius itaque momenti est animadversio quam legimus in Decisione XXXVI coram R. P. D. Canestri circa compossibilitatem aversionis cum relationibus sexualibus intimis a parte metum passae ante nuptias cum comparte fotis: « Nec magni momenti apparet difficultas sumpta ex fornicationibus, in quas circiter quindicim vel viginti vicibus, juxta Josephum (conventum), lapsa est puella (actrix in causa), et ob quas idem vir, loquens etiam de nuptiis, putavit se ab eadem esse adamatum. Aliud est enim impetus libidinis, quo ad breve tempus quis etiam in amantem invisum inclinare potest; aliud vero affectus, quo

commune jugum quis cum alio serio et constanter desiderare valet; absurdum enim esset concipere desiderium nuptiarum quoties in complicem turpitudinis quis incidit... De frequentia tamen horum congressuum, qui a solo marito determinantur, forsitan esset dubitandum, primo quia in ceteris aliis depositionibus ab utroque conjuge praetermittuntur, saltem explicite; secundo, quia vir in nonnullis perfectam rerum memoriam non retinet. Sed admissa etiam veritate tot fornicationum, manet semper puellam a ducendo Josepho repugnare. Omnes testes affirmant hanc perseverantem aversionem; et quod gravius est, ipse vir fatetur Juliam a se repugnasse; commercia et odium ita in sua depositione componit: « Initio me adamavit, postea refriguit ». Puella potiusquam de promissione nuptiarum gaudebat de effectibus non secutis. Unde concludendum est Juliam per haec commercia aut numquam deposuisse suam aversionem a nuptiis; aut saltem eam sumpsisse tempore nuptiis proximo; ut enim jam dictum est, ipsa actrix immediate post celebrationem matrimonii tam acriter recusavit copulas legitimas, ut certum signum praeberet se jam ab aliquo tempore etiam ab illegitimis abhorruisse. Nullum igitur argumentum ex turpi praenuptiali fornicatione erui potest contra aversionem Juliae a Josepho » (pagg. 367-368 n. 7).

Nec valde dissimilia leguntur in Decisione VIII coram R. P. D. Heard in una *Tergestina*: « Si actrix copulam admisit (ante nuptias), certe relatio carnalis partium per se deponit contra repugnantiam unius in alteram et consequenter metum passum. Nihilominus dari etiam potest quod ex metu sequatur aliqua puella pravam relationem et ita semper ex metu perveniat ad nuptias, et quod ita fuerit, in casu patet ex violentiis quibus genitores usi sunt » (p. 73 n. 10).

Aliis verbis, in istis casibus, praesumptio ex mulieris aversione a Judicibus conjecta vehementior fuit praesumptione contraria ex carnali praenuptiali commercio corrivante.

Nec desunt casus in quibus praesumptio coacti consensus ex aversione corrivata habita est vehementior ipsa confessione judiciali partis metum passae. Itaque, in eadem Decisione VIII mox citata, sequentia leguntur: « Aliquam praebent difficultatem verba ipsius actricis, quae in prima excussione dixit: « Avendo subito da lui (i. e. convento) violenza, avevo perduto la speranza di trovare altro partito », unde deducendum esset eam matrimonium acceptasse tamquam unicam tabulam salutis. Censuerunt tamen Patres hoc argumentum ab actrice adductum fuisse ad fucum faciendum intentioni suae, nesciente idem ipsi nocere. Secus curnam genitoribus restitit? Praeterea turpitudo ejus non erat nota, ad maximum vicini dicteria propalare potuissent, videntes puellam domum juvenis frequentare; agitur autem de familia valde plebeja, in civitate ubi moralitati non tam rigorose attenditur ut puella deflorata, si placet, non inveniat maritum. Fratres actricis omnes matrimonio adversi erant, quamvis saltem suspicarentur de defloratione a sorore passa » (pag. 73 n. 11).

Dari interdum possunt circumstantiae postnuptiales quae haud cohaerere videntur cum aversione ideoque cum metu. Non semper tamen praesumptio destruitur. Ita, ex. gr. in eadem Decisione VIII legimus:

« Obiicitur actricem quoad vitam conjugalem de infidelitate viri conqueri et propter hanc ab eo discessisse ideoque minime ejus repugnantiam habuisse, cum zelotypia cum repugnantia componi non possit. Revera actrix videtur discessisse potius ob malas tractationes socrus et viri. Quod autem de infidelitate viri conquesta sit, nihil probat. Nam etiamsi virum oderat, poterat magis detestari eum ob ejus spurcitias, non enim raro est in statu aversionis inimicum culpare etiam earum rerum quae nobis faverent » (pp. 73- 74 n. 12).

Ita etiam in *Cloynen. coram* R. R. P. Jullien: « Ea non videtur ad nubendum coacta, quae cito pacifice vixit cum marito, sed ob furiosam ejus ebrietatem postea fugit. Verum observetur oportet quod conjuges, primis post nuptias hebdomadis, in domo paterna uxoris degerunt, hujus matre praesente, quae causa metus fuerat; itaque metus non purgabatur. Deinde uxor Catharina, ex ejus dictis liquet, primis diebus cum Patricio pacifice vixit, non propter affectum, sed ad conjugalia officia complenda, nam jura ignorans, putavit se legitimam uxorem esse, atque rei matrimoniali sese praestitit duasque filias suscepit; ex quo quibusdam videbantur conjuges felices » (pag. 305 n. 12).

Quoad cetera consensus vitia: in causis *amentiae* saepe recurrit praesumptio contraria lucidis intervallis, prout legitur in Dec. XLIV coram R. P. D. Teodori: « Lucida intervalla tunc habentur, cum morbus mentis, quo habitualiter infirmus laborat, pro longiore temporis spatio intermittatur, adeo ut infirmus ad tempus sanam mentem recuperet. Lucida intervalla non praesumuntur; probata namque amentia, pro eadem militat praesumptio, praesertim si post matrimonium quoque conjux nova amentiae signa dederit. Tunc enim nova exsurgit praesumptio, quod nempe illius amentia medio quoque tempore perduraverit; siquidem probatis extremis, et media praesumitur probata dementia » (pag. 468 n. 4). In casu autem concreto, Judices admiserunt contrariam probationem, seu matrimonium revera contractum fuisse in lucido intervallo ac propterea validum fuisse.

In themate intentionis seu voluntatis *contra substantiam* matrimonii, saepissime inveniuntur praesumptiones, quamvis interdum difficile dictu sit quousque perveniat jus substantiale, ubi autem initium capiat jus probatorium.

Itaque, si habeatur conditio, haec matrimonium vitiare videretur ob expressum legis praescriptum (can. 1092; n. 2°, qui reproducit celebrem Decretalem Gregorii IX, c. ult. X, *De condit. appos. IV*, 5). Nihilominus, Decisiones generatim, ubi agatur de exclusis bonis prolis et fidei, ajunt ex conditionis appositione oriri praesumptionem contrahentem voluisse jus ipsum correlativamque obligationem respuere et non mere abuti matrimonio. Ita, ex. gr. Dec. XXIII coram R. P. D. Wynen, non obstante explicita mentione illius legis praecepti (pag. 233 n. 2).

Eamdem praesumptionem Decisiones conjiciunt ex pacto inter nupturientes inito (ibid.), ac pleraeque etiam ex perpetuitate intentionis. De hac tamen ex. gr. Decisio LXVI coram R. P. D. Quattrocolo mentionem non facit. Nihilominus sententia negativa fuit quia dubitavit num

intentio viri non fuerit perpetua (pp. 720-721) ac infirmata fuit a subsequente Rotali turno, uti supra dictum est.

Breviter hanc materiam resumit Decisio XXXI coram R. P. D. Canestri: « Simulatio haberi potest sive per simplicem intentionem, sive per adjunctam conditionem vel pactum; quod si postrema verificentur, tunc praesumitur exclusum jus. Ita tenacitas et perpetuitas in rejectione prolis, praesumptiones, etsi minus graves, inducunt denegati juris. Nil tamen vetat quominus et ad tempus denegetur jus cum consequente invaliditate matrimonii: deesset enim continuata ideoque perpetua corporis cessio in ordine ad procreationem prolis, quae essentialem contractus proprietatem constituit ». (pp. 312-313 n. 2).

Uti notissimum est, nullam distinctionem faciunt Decisiones si agatur de exclusa indissolubilitate. Quo in themate pretium operis est recolere quod legitur in Dec. XVII coram R. P. D. Heard in una *Westmonasterien.*: « Sed hic alia et ardua quaestio non raro a Judice solvenda est. Nam hodie perplures, sive ex doctrina haeretica, sive ex gentilium corruptelis, sive ex lege civili haustam, erroneam fovent opinionem de dissolubilitate conjugii; simplex autem error circa matrimonii indissolubilitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem (can. 1084). Judex ergo, ubi nullitas matrimonii accusatur ob exclusam indissolubilitatem, diligenter inspicere debet, utrum in casu agatur de mero errore, an pars revera per actum voluntatis indissolubilitatem excluserit. Certe, qui matrimonium putat dissolubile, aliquo sensu contractum dissolubilem intendit matrimonium contrahens, sed haec plerumque est intentio habitualis, quae voluntatem non ingreditur nec consensum limitat quo quis intendit matrimonium verum inire ut a Christo institutum; et quidem eo ipso quod quis putat consensum jam per legem limitatum, difficilius per actum positivum voluntatis eumdem limitabit. Praesumendum est generalem intentionem matrimonium christianum ineundi praevalere (Benedictus XIV, De Syn. dioec., 13, c. 22). Haec praesumptio juxta antiquam jurisprudentiam refelli non poterat nisi pactum adfuerit inter partes de dissolubili vinculo contrahendo: quod post evulgatum Codicem (can. 1086) amplius dici nequit; et certum sane est consensum aliquando limitari per simplex voluntatis propositum. Si quidem adest lex admittens divortium et contrahens nihil facit sed quiescit tantummodo in illa lege, contentus eidem subdi, ex mero errore agit et consensus non vitiatur. At si non solum in lege quiescit et sese legis permissioni submittit, sed per actum positivum voluntatis legem facit suam, contrahens cum vera intentione ea fruendi, non amplius praevalet intentio generalis matrimonium christianum ineundi, et consensus indubie vitiatur. Quod ita revera fecerit, absque pacto non erit facile probare, nec sufficiunt merae locutiones forsan ante matrimonium factae de divortio habendo, si casus ferat, cum tales locutiones naturaliter ex erroneo conceptu matrimonii profluant, quin ullum positivum actum voluntatis demonstrent; adhuc minus juvant declarationes partis post matrimonii naufragium factae: si scivisset matrimonium indissolubile esse, se numquam contracturum fuisse, quod ad summum errorem ostendit dantem causam contractui. Si autem adfuit causa gra-

vis, ob quam contrahens deliberaverit, an matrimonium ineundum fuerit necne, facile non solum mente sua dixit divortium possibile esse vel vagum habuit propositum divertendi, sed transivit in intentionem respuendi positive indissolubilitatem dicendo: « Abrumpam vinculum si non placebit », quae intentio neque habitualis fuit, neque mere interpretativa, sed per actum positivum voluntatis elicita est. Quam intentionem si testibus idoneis tempore non suspecto quis manifestaverit, sufficiens habebitur probatio ad matrimonium nullum declarandum » (pp. 167-168 n. 2).

In casu quidem concreto agebatur de puella protestanti, quae solummodo matrimonii sui cum catholico occasione in Catholicam Ecclesiam recepta est. Praeter errorem theoreticum de possibilitate divortium faciendi, voluntatem id faciendi ante nuptias elicuit et manifestavit. Potissimum hanc Judices praesumpserunt quia « non defuerunt causae specificae, quae facile provocare potuerunt ex parte conventae positivam intentionem lege divortii fruendi. Non enim Angelum (sponsum) valde amabat et in decursu sponsalium plurima erant dissidia, non solum enim natione, sed etiam indole sponsi diversi erant » (pag. 170 n. 6).

Videamus nunc in alia Decisione coram eodem Ponente causam exclusionis indissolubilitatis ex parte contrahentis catholici: « In regione catholica, et praesertim in Italia, ubi institutio divortii civilis non habetur, vix potest quis vinculum solubile intendere, cum omnes sciant matrimonium indissolubile esse, ideoque, si vinculum indissolubile non acceptat, potius omne vinculum respuit et simulationem totalem potius quam simulationem partialem ob exclusum bonum sacramenti, facere dicendus est ». (p. 354 n. 2). Verum, adversus istam praesumptionem a Judicibus conjectam, obiici posset etiam in Italia aliisque nationibus divortium non admittentibus perplures saltem in confuso nosse aliquo modo vinculum solvi posse. Revera eamdem praesumptionem in aliis Decisionibus repetitam non invenimus; ac de facto in eodem volumine legitur Decisio XLVII coram R. P. D. Wynen, quae nullum declarat matrimonium ob indissolubilitatem exclusam a muliere italica et catholica, quin illam difficultatem sibi proponat (p. 506 et ss.).

Etiam in *conditionibus non contrariis substantiae* matrimonii, continuo locus fit praesumptionibus hominis, quas Judex conjicit ad distinguendam veram conditionem a modo, a causa, a mero errore. Itaque in Decisione VI coram R. P. D. Heard in una *Westmonasterien.* conditionis a sponsa appositae quod sponsus omnem relationem cum amasia cessaverit, sequentes circumstantiae consideratae sunt uti decisivae ut Judices concluderent pro vera conditione, quae cum verificata non fuisset, matrimonii nullitas declarata est: 1) « Imprimis res magni momenti fuit actrici », data notorietate familiae ejusdem (pag. 57 n. 7): 2) « Aliud autem signum conditionis est quod actrix statim ac novit adhuc pendere lites inter virum et amasiam, eum dereliquit » (p. 59 n. 9).

Neque praesumpta est revocatio conditionis ex eo quod satis fuisset eam apponi ad sponsalia, ac post eadem actrix plene fisa est verbo sponsi se omnem relationem cum amasia abrupisse. Ita enim ratiocinati

sunt Judices: « Hoc verum est ubi agitur de re quae facile exploratur; sed in casu aliqua incertitudo necessario aderat, cum de abrupta relatione et de compositione facta tantummodo per ipsum conventum actrix scire posset, non ex scientia propria. Utique fidem viro praebuit: 'J'étais complètement convaincue'. Sed hujusmodi certitudo, si positionem conditionis excludit, revocationem conditionis jam positae minime secumfert » (p. 58 n. 8).

Gressum facientes ad impedimenta proprie dicta, praesumptionem *impotentiae* viri conjectam videmus a Decisione XXXVIII coram R. P. D. Teodori ex facto certo virginitatis ab uxore servatae per plusquam novem cohabitationis annos. Antecedentia quoque impotentiae praesumpta est, non autem perpetuitas, cum ageretur de infirmitate psychica (pag. 388 n. 9).

Majus momentum praesumptiones habent in probando impedimento *publicae honestatis*, quippe quod super pluribus factis et circumstantiis fulciatur.

Legitur sane in citata Decisione XLVIII coram R. P. D. Jullien: « De utroque igitur adulterio (inter actorem et matrem conventae) acta certitudinem non producunt, sed solummodo conjecturas, quae, ne vehementes quidem, non probant fornicationem, nec concubinatum, cum ad ejusmodi facinora probanda non valeant nisi praesumptiones violentae. Verum etiamsi daretur Josephinam et Joannem coivisse,... non ageretur tamen nisi de fornicatione intermisso tempore repetita, non de concubinatu eodemque publico, cum deficiat certa probatio continuati commercii sexualis, instar vitae maritalis... Siquidem Josephina mulier erat conjugata, in domoque conjugali cum marito, viro quidem ignavo, convivebat; ex quo ea jam difficilius uti publica concubinaria haberi poterat; et scimus revera eam se ita gessisse, ne hujus criminis rea haberetur... Neque plenam in judicio probationem inducunt cetera indicia a testibus adducta, etiamsi cumulentur cum jam assertis. Enimvero Joannem in domo Josephinae versantem, alii raro viderunt: alii quidem saepius, maxime tempore sponsalium, ita ut Joannes non sponsus filiae cauponum sed dominus cauponae videretur. Quidam praeterea referunt ex proprio visu utrumque inhonestis familiaritatibus conjunctum esse... At vero attestationibus illis fundata non habetur certitudo publici concubinatus, sed solummodo conjectura, ne vehemens quidem, quae in causa ista nihil opus est » (pag. 521 nn. 9-10).

Difficultas probandi fornicationem innuitur etiam in Decisione XXVIII coram R. P. D. Wynen, aliud tamen prorsus caput nullitatis respiciente, in qua insuper circumstantia accessoria est: « Nefas est ex deambulationibus vel excursionibus seu parvis itineribus duorum juvenum concludere eos fornicationem inter se perfecisse » (pag. 282 n. 5).

Quod denique attinet ad *praesumptiones in re non matrimoniali*, speciali mentione dignam putamus Decisionem LIII coram R. P. D. Jullien in jam citata causa *Syracusana*, jurium, inter mensam episcopalem agrigentinam et capitulum metropolitanum syracusanum. Uti ex facti specie patet, mensa nonnisi bulla vel rescripto Pontificio gravari perpetuo potuisset annuo onere supplementi prabendalis capitulo sol-

vendo. Documentum istud exhiberi non potuit, ast ejus exsistentiam Decisio Rotalis pariter praesumpsit « ex indiciis contra quae pars adversa nil certi opposuit », quae indicia Decisio ample recensuit (pag. 596-598 n. 12, 1°-7°).

RICHARDUS ROMANO
Advocatus Rotalis
de Collegio Procuratorum SS. PP. AA.

CAESAR ZERBA: *Explanatio Instructionis « Sacrosanctum » seu De normis a parocho servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittat (can. 1020).* Edit. Marietti, Roma, 1950, pag 92, lit. 350.

Si quod exstat novae Legis Sacramentum magis irreverentiae ac profanationi obnoxium, praesertim nunc temporis in tam effrena et insolenti divortiorum cupiditate, profecto fatendum est, (quod equidem est mirum), ipsum esse christiani foederis *Sacramentum magnum.* Id si plerumque accidit ob nupturientium improbitatem seu malitiam, excludi tamen nequit non semel contingere etiam ob desidiam aut imperitiam ministrorum Ecclesiae, qui praepositi sunt canonicis legibus servandis, quae matrimonii celebrationis difficile negotium moderantur: quod quidem incommodum praeter quam in sacramenti iniuriam et in sacri ministerii dedecus pronum est redundare.

Plus minusve abusus detestabiles in sacris conciliandis nuptiis temporum decursu hominum versutia et circumventione fere semper irrepserunt, uti nos edocet historia canonici iuris; quae ceterum, ostendit pariter sedulissimam curam continenter ab Ecclesia adhibitam ad pericula avertenda sacris connubiis impendentia, incommoda ipsa aperte denuntiando et consentanea remedia suppeditando suis administris ingruentium abusuum remotioni magis accommodata, dignitati et sanctitudini tanti Sacramenti consulere satagendo, ne scilicet contra divinas humanasque leges nupturientes vetita coniugia inire praesumerent.

Congruenter igitur cum hac sollerti Ecclesiae diligentia numquam intermissa, iam praeclari Codicis I. C. conditores studiose incubuerunt in digerenda sat adminiculata disciplina nuptiarum gubernatrice (cfr. lib. III, tit. VII), quae partim antiqua proterens vestigia quibus efficaciter, experientia teste, nuptialis consortii conciliationi tum fuerat provisum, partim novas regulas nostri temporis postulatis magis consonas recipiens, egregie inserviebat ad ea omnia amovenda in celebratione nuptiarum, quae earum adversareatur sanctitati, adeo ut, interceptis impedimentis omne genus, quae ipsarum validitati et liceitati quoquo modo officerent, nupturientes, rite inito coniugio, salutares quoque valerent tanti Sacramenti uberes effectus ipsi divinitus inditos adipisci.

Ast, non obstante disciplina naviter a Codice I. C. praestituta, prava nova conamina atque insidiae haud destiterunt etiam hodie sanctitudinem christiani coniugii impetere. Non semel enim accidit ut improbi homines, dum coniugale foedus ineunt, facultatem sibi reservent connubium ipsum ad nutum dissolvendi, si illud tractu temporis male ces-

serit; proinde fraudibus et dolis Ecclesiae ministros aggredi non verentur ut nuptias irritas concilient *intentiones* aut *condiciones* iisdem adiiciendo, quae earum validitati repugnent, aut reticendo impedimenta dirimentia, si quo forte ipsi inter se adstringantur.

Cum iste insanus abusus in vulgus serperet et longe lateque diffundi conspiceretur, post haud immodicum temporis intervallum a promulgato Codice I. C., ut novas insidias christianis nuptiis paratas averteret, S. Congregatio de Sacramentis, urgenti necessitate compulsa, pro suo munere incunctanter opportunum duxit enunciatam Instructionem « *Sacrosanctum* », ita nuncupatam a primo verbo unde sumit exordium, in lucem proferre.

Profecto hoc memorabili documento S. Congregatio sibi proposuit disciplinam matrimonii moderatricem a Codice iam traditam ad pressiorem observantiam revocare, veteres regulas quibus coalescebat explanando atque novas subministrare normas, quas magis consentaneas censuit ad explodenda recentiora impia molimina contra coniugii valorem, praesertim ob exclusam connubii unitatem et indissolubilitatem necnon ob denegatum ius ad prolem: uno verbo omnia adamussim servari praecipere sategit, quae de iure servanda sunt ut christianae nuptiae tutae sartae in suo robore manerent nobiliaque charismata, unde a Christo Domino sunt honestatae, prout oportet, consequerentur.

Hinc eadem S. Congregatio monitos esse voluit administros Ecclesiae ut diligenter nupturientium examem praematrimoniale conficerent ad omnia praefata incommoda removenda, ad rem eisdem porrigendo valde utilia interrogatoria nupturientibus deferenda; eosdem instructos fecit dolis et fraudibus a quibusdam adhibitis ad nuptias ipsas irritandas, ne ipsis deciperentur; eosdem ministros hortata est ut matrimonii disciplinam pro ipsorum officio bene callerent, impedimenta sive dirimentia sive impedientia sedulo investigarent ad ea amovenda ante nuptiarum celebrationem, si fieri posset; ad matrimonii vero assistentiam quod attinet rite respicerent ne ipsorum imperitia aut incuria valor ipse connubii periclitaretur.

Adiuncta temporis in quae incidit huius apostolici documenti promulgatio, eius divulgationi non profuerunt; tunc enim universale bellum flagrabat, commeatus intercipiebantur, litterarum missio praecludebatur, ephemerides de re canonica et morali fere omnes silebant; proinde hoc magni ponderis documentum alto silentio premebatur in notabili orbis parte et in quibusdam nationibus magis ab hac alma Urbe dissitis ne textus quidem ipsius agnoscebatur et ignorari perrexit etiam aliquanto post bellum confectum, quosque nempe receptum non fuit *Commentarium Officiale Actorum Apostolicae Sedis*, quo promulgabatur Instructio.

Equidem peculiare Instructionis momentum neminem latet, quippe quae haberi debeat veluti *magna charta*, unde christiani connubii iam regitur celebratio. Ipsa enim non mediocri adiumento prostat parochis quibus praebet singulas normas ipsis servandas in explendis actis matrimonio praeviis eandemque rectam nuptiarum assistentiam accurate describit et regit.

Procul dubio valde conferebat Instructionis perspicuitati membratim perhibitas regulas rationesque earum attente perpendere et explanare quo omnibus intellectu faciliores et uniformi exsecutioni promptiores evaderent.

Onus huiusmodi suscipere est aggressus cl. Auctor commentario, qui nuper in lucem prodiit, aliquot nempe post annos ab edita Instructione, quod quidem non casu peregit sed de industria, ut responsiones authenticas complecteretur a S. Congregatione datas ad dubia per locorum Ordinarios eidem proposita: quo factum est ut exinde univoca evenerit Instructionis exsecutio et traditae disciplinae obvia communis interpretatio.

Auctor, Instructionis textu cum allegatis praemisso, commentarium in duas partes dividit, quarum altera motiva recenset quibus compulsa fuit S. Congregatio ad documentum edendum, unde animarum pastores erudirentur de germana ratione propositae regulae et de peculiari fine ad quem assequendum est ordinata.

Altera vero pars immoratur in perpendendis singulis praescriptionibus, quas singillatim studiose perspicit congruenterque evolvit. Sat amplam interserit huic evolutioni canonicam doctrinam quam haurire studet ex apostolicis documentis, quae veluti cuiusque recolitae normae genuini fontes perhibentur.

Sacerdotes animarum curam gerentes excellens invenient subsidium in exsequendis actis, quae nuptiarum praeviam inquisitionem constituunt eum in finem ut quodlibet amoveant obstaculum, si fieri queat, earum validae et licitae celebrationi. Ibi ostenduntur practica criteria, experientia invecta, in detegendis et dispensandis canonicis impedimentis; praesertim autem specialis advertentia parochi revocatur in exploratione status liberi nupturientium, quod praecipue attinet ad absentiam *ligaminis* in tuto ponendam, et ad evincendam plenam eorundem libertatem consensus.

Quoad vitia consensus, quae praecaveri debent, sacerdotis inquirentis attentio impensius redigitur super caput nullitatis matrimonii quod hodie praevalenter coniugio ineundo substernitur, quod respicit *intentiones* et *conditiones* adversus matrimonii valorem aut aliquam eius essentialem proprietatem.

Paragraphus de nullitate matrimonii *ob non servatam canonicam formam* est veluti commentariolum de hodierna doctrina canonica ad rem, atque amplexatur completum elenchum *vicariorum paroecialium*, qui valide et licite matrimonio assistere valent cum facultate vel minus delegandi aut subdelegandi; *modus* insuper ibi describitur quo delegatio et subdelegatio debet impertiri, ut secure prospiciatur tum validae tum licitae connubii celebrationi. Profecto ex hoc capite, uti Instructio alte proclamat, matrimonia non pauca periculo nullitatis exponuntur, cui nullitati medendi causa postea ministro onus incumbit postulandi ab Apostolica Sede remedium simplicis convalidationis (can. 1133 seq.) et non semel remedium etiam extremum (can. 1138 seq.) sanationis in radice nulliter contracti connubii, quod periculis ac difficultatibus non

vacat, praesertim in regionibus ubi concordatario iure matrimonia reguntur.

Quod vero attinet ad personas canonicae formae subiectas recoluntur binae litterae apostolicae Pii PP. XII *motu proprio* datae, nempe die 1 augusti 1948 quoad matrimonia acatholicorum (can. 1099 § 2) et die 22 februarii 1949, quoad matrimonia catholicorum mixti ritus (can. 1099 § 1 n. 3): quibus litteris duplex derogatio allata fuit disciplinae a Codice I. C. traditae.

Instructionis explanatio duabus ditatur appendicibus. Prior praeter responsiones Pont. Commissionis Codicis I. C. in Instructione et commentario citatas et nonnullas resolutiones dubiorum a S. C. Concilii datas, *quendam peculiarem conspectum* continet, qui eximie iuvat locorum Ordinarios et parochos, in quo singillatim describuntur acta omnia praematrimonialia a parocho conficienda et documenta ad normam Instructionis comparanda iuxta diversos casus, qui ei occurri possunt, quique ibi ad quattuor reducuntur.

Posterior appendix praecipua amplectitur apostolica documenta, quae veluti totidem perhibentur fontes unde hausta est canonica doctrina ab Instructione et commentario tradita; nempe de statu libero nupturientium; super processibus ad probandum obitum alicuius coniugis (a. 1868); de dispensationibus matrimonialibus; S. Officii decretum de communismo et declaratio de communistarum matrimonii celebratione.

Nonnulli indices, qui canones Codicis I. C. referunt et responsiones Pont. Comm. Codicis citatas in Instructione et commentario conclusionis instar explanationem absolvunt.

Diserta equidem adhibita cura et impensum studium ab A. collatum specialiter hoc opus commendant Exc.mis locorum Ordinariis ac animarum pastoribus, pro quibus specialiter est confectum pro germana exegesi Instructionis, quae implexam disciplinam exponit matrimonii celebrationis moderatricem. Id recolit gratulatoria epistula ad Auctorem missa ab E.mo Cardinali Aloisi Masella, Pro-Praefecto S. Congregationis de Sacramentis, quae commentario tamquam prooemium praeficitur.

Explanatio demum indice analytico aucta nitidisque typis confecta quid unum cum Instructione intime connexum ab eaque inseparabile constituit ac prae manibus parochorum habenda est ut secure riteque Instructionem, religiose servandam prout natura ipsa sacramentalis contractus nuptialis postulat, fideli exsecutioni demandent.

Sub eius ductu quot reapse vitarentur in *magnum Sacramentum* iniuriae et probra; quot nullitatis matrimonialis causae praecaverentur, si ad connubia concilianda procederetur cum diligentia et circumpectione, ab excellentia et sanctitudine huius contractus praefracte requisita, adamussim servatis praeceptis sapienter ab Instructione exhibitis, et in Italia ac in locis ubi catholica connubia iure concordatrio reguntur, poenae quoque parochis impendentes averterentur, prout nonnulli sat cogniti criminales processus in foro civili italico agitati, e quibus ministrorum Ecclesiae dignitas et auctoritas valde deminuta et confusa recessit, luculenter ostendunt.

* * *

JOSEPH F. DOHERTY M. A. S. T. D. *Moral problems of Interracial Marriage.* The Catholic University of America Press. Washington D. C. 1949 pp. 175.

Est thesis pro assequenda laurea in Sacra Theologia apud Catholicam Universitatem Americae Septemptrionalis, quae digna est ob argumentum et ob principia exposita ut attente consideretur.

Forsan pluribus qui in Europa, et praesertim in Italia, vivunt, mirum apparebit an dubium proponi possit de validitate matrimonii mixti inter personam albam et personam nigram, itemque an leges quae talia matrimonia non modo prohibent sed irritant, iusta et valida sint; adeo mentalitas nostra catholica abhorret a talibus discriminationibus razzisticis, sicuti experti sumus recentibus annis, quando et in Italia leges antisemiticae - nempe razzisticae - introductae sunt. Nemo ignorat quae et quot effugia excogitata et in praxim relata sint ad observantiam talium legum (ab omnibus fere Italis ut iniustae et monstruosae habitarum) eludendam.

Non ita autem res procedit aliis in locis, praesertim ubi leges et mores Anglici invaluerunt per saecula. Ad hoc quidem adnotarunt, praesertim post cladem nazisticam, Hitlerium eiusque sectatores, licet feroces et immanes se ostenderint usque ad tragicum furorem in sua persecutione antisemitica, non adeo profunde forsan imbutos fuisse praeiudicio razzistico, opinione nempe superioritatis saxonicae stirpis, ac magna pars Anglorum circa superioritatem absolutam generis sui respectu aliarum gentium. Haec persuasio in penetralibus intimis illius gentis insidens, non est, sicut in Germanis, idea adhuc in stadio evolutionis et pugnacis impositionis, sed pacificae possessionis, veluti dogma seu praesuppositum indiscussum, licet nullibi clare sit scriptum, imo etsi forsan declarationes officiales eidem contradicant. Potius quam de opinione agitur de « forma mentis » vel de « more majorum » per saecula radicatis, cui sane contribuerunt plura elementa varii generis, uti insularitas, puritanismus cum suo peculiari biblicismo veteris testamenti, praxis et politica colonialis miro successu per saecula exercitae etc. Haec ideae affecerunt et incolas Americae Septemptrionalis, nam « praeiudicium razziale contra Nigritas est adhuc validum in regione meridionali, ubi principium 15um Constitutionis (quod proclamat aequalitatem inter cives) aliquando violatur indirecte, et ubi « lynchings » locum quandoque habent. Exclusio Orientalium immigrantium indicat timorem razzialem Occidentalium Statuum. Etiam *immigratio selectiva* (ex quo damna gravissima nos Itali patimur) cum certis restrictionibus relate ad certas inferiores(!) stirpes Europae, est recognitio de facto principiorum theoriae razzisticae » (L. Snyder; Race.. New York 1939 p. 227).

Natae sunt exinde leges quae in 28 Statibus Foederationis, nempe in omnibus fere meridionalibus et occidentalibus, non modo vetant sed et irritant matrimonia mixta, praecipue inter personam stirpis albae et personam stirpis nigrae. Thesis vult studere sub lumine theologiae moralis catholicae problemata moralia diversi generis quae oriuntur ex mixtis connubiis.

Doctrina catholica exponitur ample et clare postquam conceptus et

definitiones *Stirpis et Mixtarum nuptiarum*, haud parum elasticae, stabilitae sunt cum lata informatione et non sine animadversione quod phenomenon matrimonii mixti est hodie potius rarum et magis relevans theoretice quam practice. Leges singulorum Statuum describuntur (quod sane opus sat est laboriosum) et qualificantur ad normam doctrinae catholicae, necnon indicatur praxis opportuna a catholicis et praesertim a parochis adhibenda, tum relate ad matrimonia mixta ineunda tum ad inita. Peculiariter illustratur quid agendum sit relate ad problema « *of passing* » nempe personae quae tantum modicam vel modicissimam nigri sanguinis portionem conservat cum epidermide alba. Problema revera quod apud nos Italos et Catholicos in genere vix conciperetur, et indicat quam profundum et insitum sit praejudicium razzisticum, nunc quoque persistens in magna parte Americae Septemtrionalis, quae tamen nunc est Natio - dux (*leader Natîon*) omnium populorum democraticorum, ad libertatem, et tutelam jurium individualium conspirantium, adversus tyranniam vel totalitarismum communisticum.

Illustratur sententia Supremi Tribunalis Californiae diei 28 Octobris 1948 (Perez vs Lippold) qua damnantur leges vetantes matrimonia mixta uti anticonstitutionales et uti dignitati humanae repugnantes.

Conclusiones generales doctissimi et ponderati studii sane ab omnibus subscribendae sunt sequentes:

1. Ecclesia Romano-Catholica minime prohibit matrimonium interratiale, unice quia interratiale.

2. Jus naturale connubii supponit jus compartem sibi convenientem seligendi, non habita consideratione stirpium.

3. Exercitium huius juris includit magna beneficia pro individuo et pro communitate, non obstantibus quibusdam incommodis concomitantibus in quibusdam Statibus Americae. Mixti nubentes suum connubium justificare valebunt in vim beneficiorum ex nuptiis provenientium, non obstantibus incommodis quibus obnoxii fiunt.

4. Celebratio matrimonii mixti est per se actus moraliter bonus.

5. Leges prohibentes matrimonium mixtum inter personas baptizatas sunt iniustae ob carentiam jurisdictionis Status relate ad talia matrimonia.

6. Probabilius ob eamdem incompetentiam iniustae sunt etiam leges relate ad matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam.

7. Persuasio Auctoris est leges omnes singulorum Statuum Am. Sept. contra matrimonia interratialia esse iniustas (circa validitatem matrimoniorum initorum contra leges Status a *non baptizatis*, Auctor remittit decisionem in casibus singulis competenti auctoritati Sanctae Sedis, nempe S. Congr. S. Officii).

8. - Legislatio socialis fundata in « indesiderabilitate » matrimonii interratialis nititur falso praesupposito, quod talia matrimonia sint generatim inepta et infelicia.

9. Tales leges abrogandae sunt.

Thesis passim probat non modo peritiam clari Auctoris, sed etiam serietatem studiorum, - ceterum bene notam, - Cath. Universitatis Washingtonensis.

VICTORIUS BARTOCCETTI

JOANNES M.-PINNA, *Praxis Iudicialis Canonica*, Romae, 1952. Pag. VIII-267.

Cl.mus vir Joannes Pinna, S. R. Rotae advocatus, iam illius S. Ordinis Notarius et Vinculi tutor, nuper in collegium Praelatorum Auditorum cooptatus, qui abhinc pluribus annis in studio rotali, pro alumnis, qui titulum advocati assequi volunt, praxim iudicialem docuit et docet, opus hoc publici iuris fieri tandem iussit, quod, profecto, valde utile, quin immo necessarium, videtur omnibus, quorum interest canonici processus formulas (sive praesertim matrimonialis sive apud Apostolicum Tribunal pertractati) exploratas habere, at non tantum in verborum cortice, sed in suis ipsissimis vi et momento, substantiae rerum et legis naturae apprime connexas.

Quod, ni fallimur, praecise fuit in auctoris summis votis: facilius enim erat nudas formulas tradere - sicut nonnulli iam fecerunt - difficilius, at doctrinae iuridicae magis consentaneum, formulas illas ad unitatem substantialem processus servandam, aptis commentariis, in universo iudicii vinculo, per systematicam methodum, illustrare.

Hunc vero finem praeclarus Auctor plenissime assecutus est. Quare eius *praxis* facta est non tantum opus sive pro tyronibus studio rotali addictis necessarium, sive pro rudibus, qui processum canonicum quomodocumque pertractare incipiunt, sed omnibus iuris processualis canonici cultoribus valde aptum.

Liber in octo capitibus dividitur (« de libello litis introductione, de mandato procuratorio, de patrocinio gratuito, de litis contestatione, de litis instantia, de instructione processus, de disceptatione iudiciali, de sententia eiusque notificatione). Sex appendices sequuntur, quibus nomen: « Specimen discussionis et definitionis causae »; « Normae S. R. Rotae »; « Instructio S. Congregationis Sacramentorum servanda a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum »; « Formulae praecipuorum actorum opportune adhibendae in causis super matrimonio rato et non consummato »; « De procuratorum et advocatorum proventibus pro causis actis coram Tribunali S. R. Rotae »; « Responsiones Supr. S. Congregationis S. Officii de competentia in causis matrimonialibus et Rescriptum Audientiae SS.mi diei 5 martii 1932 ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali ».

Praefationem libri dedit Ex.mus et Rev.mus D.nus F. Roberti, quem omnes merito dicimus et diligimus optimum nostrum in doctrina processuali canonica magistrum.

Iam laudatis, duo addere iuvabit:

a) Utilitatem operis etiam ex eo pendere quod in libro plura traduntur ad S. R. Rotae processualem stylum pertinentia, quae aliunde cognosci nequent, sive ex retardata decisionum publicatione, sive ex consuetudine, qua decreta interlocutoria non soleant typis edi ut publici fiant iuris;

b) Saepius auctorem quaestiones peculiares, immo et ad summa processualis doctrinae principia spectantes, ponere et solvere, quae aliquo modo et fines excedere videantur simplicis praxis iudicialis; ut v. g. quaestionem de vinculi tutoris appellatione, post duplicem sententiam

pro nullitate matrimonio conformem (pag. 107 not. 2); dubium de valore iuridico praecepti art. 219 par. 2. Instructionis S. C. Sacr. pro matrimonialibus processibus (p. 113, n. 9) et ita porro.

Non autem advocati, qui R. P. D. Joannem Pinnam, in suis muneribus strenuum per tot annos novimus, eius librum valde pretiosum habebimus, fidentes tamen ut, non obstantibus S. R. R. Auditoris gravissimis officii curis, pergat in doctrina processuali canonica, aliis voluminibus, exponenda et tam apte perscrutanda.

C. B.

Code Oriental de Procédure ecclésiastique. Traduction annotée par F. Galtier S. I., Beyrouth 1951, pp. XXIV, 581.

Promulgatio novae legis processualis, d. 6 Ian. 1950 Motu proprio « Sollicitudinem Nostram » editae Ecclesiis orientalibus sine dubio maximae utilitati erit. Non solum enim in ea primum certae et clarae normae, ad iudicia quod attinet, pro Orientalibus statuuntur, sed etiam necessarium fundamentum iacetur cuius ope sententiae tribunalium ecclesiasticorum secundum « Statuta personalia » vim sibi etiam in foro statali vindicare possunt.

Ut opportunae huius legis notitia et cognitio inter clericos orientales latius diffunderetur, Exc. Dom. Alcide Marina, primus Nuntius Apostolicus apud Rempublicam Libanensem, R. P. Galtier, professori iuris canonici in Universitate S. Josephi Berythensi consilium dederat, ut versionem gallicam pararet. Dignissimo hoc Praelato praematura morte abrepto eius successor, Exc. Archiepiscopus Beltrami litteras congratulatorias praefationis gratia scripsit.

Textui legis R. P. Galtier Introductionem praemittit, in qua comparationem inter Codicem iuris canonici et Motu proprio instituit. Nil mirum quod magnus numerus canonum idem est in una et in altera lege. Ceterum, ut notat auctor, in nullo alio tractatu ius civile tam prope accedit ad ius canonicum et vice versa, quam in iure processuali. Inter differentias attentionem meretur quod fontes ad calcem canonum citati multo uberiores sunt in lege latina; in lege orientali citantur tantum fontes orientales. Ex altera vero parte Codex I. C. non citavit fontes iuris civilis, ut, contra, facit Motu proprio, in quo adducuntur praesertim loci legum Justiniani. Ceterum notum est ius romano-bizantinum magnam partem habuisse in efformatione iuris processualis Ecclesiae.

Indicatur dein diversitas quae in ordine generali invenitur: in hac re ordo legis orientalis melior et logicae magis inhaerens apparet. Recensentur denique differentiae principales quae in singulis canonibus observantur.

Versio ipsa textus Motu proprio editi, quatenus videre potui, est accurata et facilis. Signis indicantur canones qui prorsus novi sunt et canones qui iam in Codice I. C. habentur, sed mutationem subierunt.

Versionem sequuntur notae seu brevis commentarius qui ad calcem canonum ponitur. Auctor ipse in Introductione scopum harum notarum practicum esse definit. In eis explicare vult significationem praescriptio-

num et contribuere ad solvendas quaestiones quae constitutionem tribunalium et administrationem iustitiae in Ecclesiis orientalibus respiciunt. Ideo omissa sunt quae ad doctrinam ut talem et ad historiam pertinent (p. XVIII). Discussiones inter canonistas habitae et documenta eatenus tantum referuntur quatenus ad scopum praefixum obtinendum omnino necessaria sunt. De canonistis qui ante 1917 scripserunt, propter eandem rationem sermo non est. Sed e contrario alligantur decisiones datae a Sancta Sede eiusque organis et solutiones quaestionum difficiliorum a viris in hac re peritis propositae, quatenus librum IV Codicis i. c. respiciunt, cum ex eis non parum lucis etiam novae legi affulgeri possit.

Notae de se ad singulos canones dantur, ut eos explicent, sed saepe plures quoque canones comprehendunt et per plures paginas commentarium continuum constituunt. Hac ratione auctor ipsam materiam bene divisam et sapienter ordinatam proponit quo intellectus novae legis non parum iuvatur. Commentatio ipsa est sobria, perspicua, solida.

In Appendice I habetur elenchus 1) canonum quorum textus differt a textu Codicis I. C., 2) canonum qui novi sunt. In Appendice II reproducitur lex Reipublicae Libanensis, d. d. 2 Aprilis 1951 de Statutis personalibus, quod lectori multum gratum erit, cum ex eo appareat quam vim habeat Motu proprio etiam coram auctoritate statali.

AEMILIUS HERMAN S. I.

DONATO MASSIMO BARTOLOMEI - *I rapporti patrimoniali dei coniugi nel diritto internazionale.* Roma, 1951. pp. 128. L. 600.

Liber hic, qui in duas dividitur partes (quarum prima « Regime legale dei rapporti patrimoniali dei coniugi » altera « Regime contrattuale » earundem relationum), quaestiones valde arduas, (sicut illas mutationis regiminis legalis et conventiontlis, legis contractum matrimonialem praescribentis, capacitatis iuridicae contrahentium, et ita porro) tradit et systematice solvit ratione habita ad ius comparatum et ad plurium Statuum Tribunalium prudentiam.

Licet de rebus agatur, quae potius ad effectus separabiles matrimonii pertinent, maxime opportunum tamen videtur earundem et iuris canonici Doctores et Judices certiores fiant, sive ob materiae connexionem, sive quia etiam in causa nullitatis matrimonii vel, frequentius, separationis, apud Tribunal Ecclesiasticum pertractata, huiusmodi aliquando exurgere possunt implexae quaestiones.

Clarus Auctor materiam, ordinata methodo, digessit, doctrinae, qua pollet, eximium praebens exemplum. C. B.

ANTONIO ED ALDO QUARTULLI - « *Successioni* ». Ed. E. Schiano. S. Maria Capua Vet. - pp. 298 - Prezzo L. 1200.

La complessa materia successoria è sistemata per « voci » in ordine alfabetico.

Ogni « voce » contiene in sintesi le norme legislative che regolano l'argomento trattato, cenni di dottrina, e richiami di giurisprudenza.

Naturalmente sarebbe pretesa eccessiva ricercare nella trattazione un ausilio scentificamente apprezzabile per indagini approfondite e complete, sopratutto perchè in questa - come in altre opere del genere - sarebbe vano ricercare una impostazione coordinata della materia, o meglio un criterio di collegamento tra i singoli istituti trattati.

Comunque il fine - essenzialmente pratico - cui l'opera tende, ci pare raggiunto: consentendo il manuale una facile consultazione ed un primo, sommario orientamento sulle singoli questioni.

Buona la veste tipografica.

GIULIO LENTI

NICOLA ABBAGNANO. *Storia della Filosofia.* 3 vol. Torino, U. T. E. T., 1949-1950.

Opus Prof. Abbagnano non est indignum praestanti editione qua U. T. E. T. illud decoravit, tribus scilicet magnis voluminibus, pulchris et claris typis, tabulis bene multis facies philosophorum exhibentibus. In hac enim historia Philosophiae elucent acutum ingenium auctoris, bona eruditio, latina claritas, necnon iudicium moderatum et in pluribus aequum. (Duorum priorum voluminum haec secunda est editio).

Longum esset omnia proferre quae in mentem veniunt legentis grande illud opus. Auctor qui ad partes hodierni existentialismi pertinet, intendit concreta problemata uniuscuiusque philosophi secundum eiusdem singularem statum et affectum exponere potius quam abstracta describere systemata. Saltem hoc obtinet ut doctrinas referat obiective quidem, sed simul secundum proprium affectum et cogitatum, ita ut faciliter et iucunde legatur. A Thalete usque ad Sartre, praecipua dicta vel scripta philosophorum recoluntur, ita ut appareat eorum respectus ad quaestiones et necessitates humanae mentis.

Cum de re religiosa et de ipso christianismo sermo est, auctor reverenter et serio doctrinas resumit, quamvis ipse appareat ex addita bibliographia vel ex prolatis iudiciis ut extraneus loqui.

In existentialismo describendo, auctor peculiarem in hac re habet auctoritatem, nec mirum erit si paginae eius de hoc vario et satis obscuro themate frequentius legentur et recitabuntur. Ipse ponit essentiam existentialismi, si ita loqui fas est, in affirmatione universalis cuiusdam incertitudinis, cum humanae condicionis, tum realitatis circumstantis. Quidquid est posset non esse, et dum est, in periculo est non essendi. Quod autem ad diversa systemata existentialismi attinet, auctor illa cum laudabili claritate exponit et defectus eorum fundamentales acute detegit et ostendit; proprium tamen systema hic non describit. At proh dolor! satis superque manifestatur eius positio fere sceptica, qua incertitudinem in omni quaestione relinquere delectatur.

Claudenti volumina ista, manifestius apparet quod a Concilio Vaticano sancitum est, generi nempe humano in statu praesenti moraliter necessariam esse divinam revelationem ut omnes necessarias veritates quae naturalem ordinem non superant, inveniat et retineat. In tanta opinionum varietate, philosophus christianus gratias Deo agere debet qui eum et lumine fidei et auxilio magnorum Doctorum adiuvat ut lu-

mine naturali recte utatur naturalesque veritates non repellat, sed agnoscat.

C. Boyer S. I.

Umberto A. Padovani. *Storia della Filosofia e della Pedagogia*, redatta in collaborazione con la Prof. Marina Vassalli. 3 vol. Milano, Marzorati, 1949.

Haec Historia Philosophiae et Paedagogiae, quae ad instituta Magistralia dirigitur, est nova quaedam perpolita et aucta editio Historiae Philosophiae Prof. Padovani. Ut programmati gubernii satisfiat, ea evolvuntur quae ad Paedagogiam et scholam pertinent. Prof. Marina Vassalli ea est quae priorem textum retractavit eique novas addidit partes.

Opus, quod praestat claritate expositionis, omnia continet quae eius fine requiruntur. Catholicis educatoribus praecipue commendatur propter curam quam habent auctores exacte exponendi religiosas quaestiones quae in historia philosophiae necessario occurrunt. Exempli gratia, sapienter ostendunt quanto lumine adventus christianismi mentem humanam ditaverit, nec omittunt confutare philosophica placita quae fidei adversantur. Cum per istum modum historicum doceantur alumni scholarum, summi est momenti ut systemata secundum veritatem iudicentur et omni modo principia perennis philosophiae inculcentur. Secus periculum oritur ne adulescentes ad scepticismum inducantur.

Verum quidem est sive de expositione doctrinarum, sive de iudiciis circa eas prolatis, quaedam aliquando dubia moveri posse.At in his etiam casibus auctores huius operis nonnisi illas interpretationes vel opiniones proferunt quae a quibusdam aliis bonae notae cultoribus historiae philosophiae solent teneri.

C. Boyer S. I.

Boganelli Eleuterio. *Corpo e spirito*. Roma, Editrice « Studium », 1951. pp. XII-436. L. 2000.

Clar.mus A., Professor titularis psychopathologiae iuridico-moralis apud Pont. Athenaeum Lateranense necnon Peritus apud S. R. Rotam, conspectum praebet in hoc volumine eorum omnium elementorum, quae tum a corpore quum ab externis eiusdem corporis condicionibus promanantia influxum exercere possunt in animae functiones.

Praemissa in cap. I (pag. 1-6) introductione de notionibus generalibus, fine ac ordine tractationis, cl. A. breviter resumit historiam studiorum de influxu corporis in activitatem spiritus atque doctrinam thomisticam defendit contra placita materialistarum. Dein in I Parte (cap. II - pag. 17-91) illustrat influxum systematis nervosi ac glandularum endocrinarum in functiones psychicas; in II Parte (cap. III - pag. 92-153) causas generales exponit perturbationum in functiones spiritus; in III Parte (cap. IV - pag. 154-250) analysim instituit perturbationum generalium in activitatem psychicam. Accedit sat ampla tractatio (cap. V - pag. 251-361) de relationibus inter singula vitia capitalia et pathologiam. Habentur insuper quaedam argumenta minora; sc. de mendacio

pathologico (cap. VI - pag. 362-380), de neuropsycastenia et scrupulis pathologicis (cap. VII - pag. 381-408), de influxu ludi corporibus exercitandis (vulgo *sport*) in spiritum (cap. VIII - pag. 409-427).

Ill.mus ac Rev.mus D.nus Albertus Canestri, S. R. Rotae Auditor, concinnam Praefationem conscripsit.

Iudicium de notionibus scientificis relinquentes peritis in arte, et quamvis non omnes cl. A. conclusiones ab omnibus sint approbaturae (quod ceterum haud est mirum, cum agatur de materia tam implexa et dubiis plena), placet opus valde hic commendare propter magnam eiusdem utilitatem. Ut praelaudatus D.nus Canestri habet (p. X): « Si concepiva ed oggi ancora da troppi superficiali si concepisce la volontà come un autista al volante padrone assoluto della macchina, della sua struttura e di tutti i suoi movimenti, colpevole di qualsiasi sterzata. E non vi si prospetta il caso, più frequente che non quello di uno sbaglio del conducente, del motore logorato, della gomma perforata o altro guasto ».

Cl. A. tamen minime praetendit supernaturalis gratiae auxilium cum mediis naturalibus substituere ad virtutes consequendas. « Il medico - ipse scribit (p. 15) - nella cura delle malattie dello spirito non mira a debellare il vizio o a far guadagnare la virtù per mezzo di sciroppi, decotti, compressine e consigli, come se fosse possibile sostituire al trattamento morale il trattamento somatico, ai mezzi della Grazia i prodotti degli stabilimenti farmaceutici o la psicoterapia. Il peccato, infatti, consiste nella trasgressione libera dalla legge di Dio e la virtù nella osservanza libera di questa legge; dunque la libertà di decisione è requisito indispensabile perchè un atto abbia valore morale. Invece molte volte la malattia porta con sè un certo determinismo psichico, che diminuisce o abolisce il merito o il demerito. Quando il medico corregge una anomalia fisica, compie un'opera i cui effetti non sconfinano dal campo medico e lasciano impregiudicato il lato morale della questione ».

Opus perutile erit medicis, iurisperitis, educatoribus necnon spirituum moderatoribus ut munia cuique propria melius iugiter adimplere possint.

FLORENTIUS ROMITA

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

ADHORTATIO RADIOPHONICA PII PP. XII

URBIS CHRISTIFIDELIBUS DATA, DIE DECIMA FEBRUARII MENSIS ANNO MCMLII

Dal Nostro cuore, diletti figli e figlie di Roma vi giunge questa paterna esortazione; dal Nostro cuore inquieto, da un lato, per il prolungarsi, senza stabili schiarite, della pericolosa condizione esterna, dall'altro, per un troppo diffuso torpore, che trattiene molti dall'intraprendere quel ritorno a Gesù Cristo, alla Chiesa, alla vita cristiana, che abbiamo spesso indicato come il risolutivo rimedio della totale crisi che agita il mondo. Ma la fiducia di trovare in voi il conforto della comprensione e la ferma prontezza all'azione, Ci ha mossi ad aprirvi l'animo Nostro. Un grido di risveglio oggi ascoltate dalle labbra del vostro Padre e Pastore, di Noi che non possiamo restar muti ed inerti dinanzi ad un mondo, che prosegue inconsciamente per quelle vie, le quali menano al baratro anime e corpi, buoni e malvagi, civiltà e popoli. Il sentimento della Nostra responsabilità davanti a Dio richiede da Noi di tutto tentare, di tutto intraprendere, affinchè al genere umano sia risparmiata una così immane sciagura.

Per confidarvi queste Nostre ansie abbiamo scelto la festività, domani ricorrente, della Vergine di Lourdes, perchè commemora le prodigiose apparizioni, che, circa cento anni fa, furono in quel secolo di sbandamento razionalistico e di depressione religiosa, la risposta misericordiosa di Dio e della sua Madre celeste alla ribellione degli uomini, l'irresistibile richiamo al soprannaturale, il primo passo per una progressiva ripresa religiosa. E quale cuore di cristiano, sia pure tiepido e dimentico, potrebbe resistere alla voce di Maria? Non certo i cuori dei Romani, di voi che avete ereditato, trasmesso per lunghi secoli, insieme con la fede dei Martiri, il filiale affetto a Maria, invocata nelle sue venerande Immagini con gli amorosi titoli di lapidaria eloquenza « Salus Populi Romani », « Portus Romanae Securitatis » e con quello più recente di « Madre del Divino Amore », i quali tutti sono monumenti della costante pietà mariana, e, più veramente, soavi echi di una storia di provati interventi della Vergine nelle pubbliche calamità, che fecero trepidare queste vecchie mura di Roma, per virtù di Lei sempre salva. Ora voi non ignorate che ben più estesi e gravi, quali non furono nè le pesti nè i cataclismi tellurici, sono i pericoli che incombono tuttora sulla presente generazione, anche se la loro perdurante minaccia ha cominciato a rendere i popoli pressochè insensibili ed apatici. Sarebbe forse questo il più infausto sintomo della interminabile ma non svigorita crisi, che fa tremare le menti aperte alla realtà? Rinnovato quindi il ricorso alla benignità di Dio e alla misericordia di Maria, è d'uopo che ciascun fedele, ciascun uomo di buona volontà, riesamini con risolutezza degna dei grandi momenti della storia umana, quanto personalmente possa e debba fare, come suo contributo all'opera salvifica di Dio, per venire in soccorso di un mondo, avviato com'è oggi verso la rovina.

La persistenza di una condizione generale, che non dubitiamo di chiamare esplosiva ad ogni istante, e la cui origine deve ricercarsi nella tepidezza religiosa di tanti, nel basso tono morale della vita pubblica e privata, nella sistematica opera d'intossicazione delle anime semplici, a cui il veleno è propinato dopo averne, per così dire, narcotizzato il senso della genuina libertà, non può lasciare i buoni immoti nel medesimo solco, contemplatori inerti di un travolgente avvenire.

Lo stesso Anno Santo, che arrecò una prodigiosa fioritura di vita cristiana, dischiusasi prima in mezzo a voi, e poi in ogni dove sulla terra, non deve riguardarsi come una splendente ma fuggevole meteora, nè come un impegno momentaneo ormai scontato, bensì come primo e promettente passo verso la completa restaurazione dello spirito evangelico, che oltre a strappare milioni di anime della eterna rovina, è il solo che possa assicurare la pacifica convivenza e la feconda collaborazione dei popoli.

Ed ora è tempo, diletti figli! E' tempo di compiere gli altri definitivi passi; è tempo di scuotere il funesto letargo; è tempo che tutti i buoni, tutti i solleciti dei destini del mondo, si riconoscano e serrino le loro file; è tempo di ripetere con l'Apostolo « *Hora est iam nos de somno surgere* ». [1] E' ora che ci svegliamo dal sonno, poichè vicina è adesso la nostra salvezza!

E' tutto un mondo, che occorre rifare dalle fondamenta, che bisogna trasformare da selvatico in umano, da umano in divino, vale a dire secondo il cuore di Dio. Da milioni di uomini si invoca un cambiamento di rotta, e si guarda alla Chiesa di Cristo come a valida ed unica timoniera, che, nel rispetto della umana libertà, possa essere alla testa di così grande impresa. e s'implora la guida di lei con aperte parole, e anche più con le lacrime già versate, con le ferite ancora doloranti, additando gli sterminati cimiteri, che l'odio organizzato ed armato ha disteso sui continenti.

Come potremmo Noi, posti da Dio, sebbene indegni, fiaccola nelle tenebre, sale della terra, Pastore del gregge cristiano, respingere questa missione salutifera? Come accettammo, in un giorno ormai lontano, perchè a Dio così piacque, la pesante croce del Pontificato, così ora Ci sottomettiamo all'arduo ufficio di essere, per quanto lo permettono le Nostre deboli forze, araldi di un mondo migliore, da Dio voluto, e il cui vessillo bramiamo in primo luogo di consegnare a voi, diletti figli di Roma, a Noi più vicini e alle Nostre cure più particolarmente affidati, e per ciò stesso anche voi posti quali fiaccole sul candelabro, lievito tra i fratelli, città sul monte; a voi, dai quali a buon diritto altri si attendono maggior coraggio e più generosa prontezza. Accogliete con nobile impeto di dedizione, riconoscendola come chiamata di Dio e degna ragione di vita, la santa consegna, che il vostro Pastore e Padre oggi vi affida: dare inizio a un potente risveglio di pensiero e di opere. Risveglio che impegni tutti, senza evasione di sorta, il clero ed il popolo, le autorità, le famiglie, i gruppi, ogni singola anima, sul fronte del rin-

[1] Rom. 13, 11.

novamento totale della vita cristiana, sulla linea della difesa dei valori morali, nell'attuazione della giustizia sociale, nella ricostruzione dell'ordine cristiano, cosicchè anche il volto esterno dell'Urbe, dai tempi apostolici centro della Chiesa, appaia in breve tempo fulgido di santità e di bellezza.

L'Urbe, su cui ogni età ha impresso l'orma di gloriose attuazioni, divenute poi eredità delle genti, riceva da questo secolo, dagli uomini che oggi la popolano, l'aureola di promotrice della salvezza comune in un tempo in cui contrastanti forze si contengono il mondo. Tanto sperano da lei i popoli cristiani, e soprattutto aspettano *azione!*

Non è questo il momento di discutere, di cercare nuovi principî, di assegnare nuovi scopi e mète. Gli uni e gli altri, già noti ed accertati nella loro sostanza, perchè insegnati da Cristo stesso, chiariti dalla secolare elaborazione della Chiesa, adattati alle immediate circostanze dagli ultimi Sommi Pontefici, attendono una cosa sola: la concreta attuazione.

A che gioverebbe lo scrutare le vie di Dio e dello spirito, se in pratica si eleggessero le strade della perdizione e si piegasse docile il dorso al flagello della carne? A che servirebbe il conoscere e il dire che Dio è Padre e gli uomini sono fratelli, quando di Lui si temesse ogni intervento nella vita privata e pubblica? A che varrebbe il disputare sulla giustizia, sulla carità, sulla pace, se la volontà fosse già risoluta a rifuggire dalla immolazione, il cuore determinato a rinchiudersi in glaciale solitudine, e se nessuno osasse per primo infrangere le barriere dell'odio separatore, per correre ad offrire un sincero abbraccio? Tutto questo non farebbe che rendere più colpevoli i figli della luce, ai quali sarà meno perdonato, se avranno meno amato. Non con questa incoerenza ed inerzia la Chiesa mutò ai suoi inizi la faccia del mondo, e si estese rapidamente, e perdurò benefica nei secoli, e riscosse l'ammirazione e la fiducia dei popoli.

Sia ben chiaro, diletti figli, che alla radice dei mali odierni e delle loro funeste conseguenze non sta, come nei tempi pre-cristiani o nelle regioni ancora pagane, l'invincibile ignoranza sui destini eterni dell'uomo e sulle vie maestre per conseguirli: bensì il letargo dello spirito, l'anemia della volontà, la freddezza dei cuori. Gli uomini da una tale peste ammorbati, quasi a giustificazione, tentano di circondarsi delle antiche tenebre e cercano un alibi in nuovi e vecchi errori. Bisogna dunque agire sulle loro volontà.

L'azione, a cui oggi chiamiamo Pastori e fedeli, rifletta quella di Dio: sia illuminatrice e unificatrice, generosa ed amorevole. A questo scopo, ponendovi dinanzi allo stato concreto della vostra e Nostra città, studiatevi che siamo ben accertati i bisogni, ben chiare le mète, ben calcolate le disponibili forze, in guisa che le presenti risorse iniziali non vengano trascurate perchè ignorate, nè disordinatamente impiegate, nè sciupate in attività secondarie. S'invitino le anime di buona volontà; esse stesse si offrano spontaneamente. Loro legge sia la fedeltà incondizionata alla persona di Gesù Cristo e ai suoi insegnamenti. La loro oblazione sia umile ed obbediente; la loro opera s'inserisca come ele-

mento attivo nella grandiosa corrente, che Dio moverà e condurrà per mezzo dei suoi ministri.

A tal fine Noi invitiamo il Nostro Venerabile Fratello, il Signor Cardinale Vicario, ad assumere l'alta direzione, per la diocesi di Roma, di quest'azione rigeneratrice e salvatrice. Siamo certi che non mancheranno, nè per numero nè per qualità, i cuori generosi che accorreranno alla Nostra chiamata e che metteranno in atto questo Nostro voto. Vi sono anime ardenti, che attendono ansiosamente di essere convocate; all'impaziente loro fremito si additi il vasto campo da dissodare. Altre ve ne sono sonnacchiose, e occorrerà destarle; trepide, e bisognerà incoraggiarle; disorientate, e si dovrà guidarle. Di tutte si chiede un saggio inquadramento, un assennato impiego, un ritmo di lavoro corrispondente alla urgente necessità di difesa, di conquista, di positiva costruzione. In tal guisa Roma rivivrà la sua secolare missione di maestra spirituale delle genti, non soltanto, come fu ed è, per la Cattedra di verità, che Dio stabilì nel suo centro, ma per l'esempio del suo popolo, tornato fervido nella fede, esemplare nei costumi, concorde nell'adempimento dei doveri religiosi e civili, e, se piacerà al Signore, prospero e felice. Volentieri Ci auguriamo che il potente risveglio a cui oggi vi esortiamo, senza indugio promosso e tenacemente proseguito secondo il disegno tracciato, e che altri potranno più particolarmente illustrare, sarà presto imitato dalle vicine e lontane diocesi, affinchè ai Nostri occhi sia concesso di vedere tornare a Cristo non soltanto le città, ma le nazioni, i continenti, l'umanità intera.

Mano dunque all'aratro: vi muova Dio che tanto vuole, vi attragga la nobiltà dell'impresa, vi stimoli la sua urgenza; il giustificato timore del tremendo avvenire, che deriverebbe da una colpevole inerzia, vinca ogni titubanza e fissi ogni volontà.

Vi sorreggeranno le preghiere degli umili e dei piccoli, ai quali vanno le vostre più tenere cure, i dolori accettati ed offerti dei sofferenti. Feconderanno i vostri sforzi gli esempi e l'intercessione dei Martiri e dei Santi, che questo suolo resero sacro. Benedirà e moltiplicherà il felice successo, per cui ardentemente preghiamo, la Vergine Santissima, la quale, se in ogni tempo fu pronta a stendere la sua mano tutrice sui suoi Romani, non dubitiamo che vorrà far sentire anche al presente la sua materna protezione per questi figli, che tanta affettuosa pietà dimostrarono nella sua recente glorificazione, e di cui in questo cielo risuona ancora il potente grido di osanna.

Vi sia infine di conforto e di sostegno la paterna Benedizione Apostolica, che con effusione di animo impartiamo a tutti voi, che Ci ascoltate, alle vostre famiglie, alle vostre opere e a questa eterna Città, la cui fede, già dai tempi dell'Apostolo, è annunziata nel mondo universo, [1] e la cui cristiana grandezza, faro di verità, di amore e di pace, s'infutura nei secoli. Così sia!

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 158-162).

---

[1] cf. Rom. 1, 8.

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES :

7 Maii 1950 — *Litt. Decret. Quos Spiritus Sanctus, per quas Beato Caeliti Antonio Mariae Claret, Ep. et Conf., in Sanctorum censetur numero* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 345-358).

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE :

29 Junii 1951 — *Const. Ap. Quo in Philippina Republica, cuius tenore, ab amplissimo dioecesis Cacerensis territorio aliquibus distractis civilibus provinciis, novae eriguntur dioeceses Legaspiensis et Sorsogonensis; simulque quattuor novae conduntur ecclesiasticae provinciae* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 163-167).

12 Julii 1951 — *Const. Ap. Ad christianam plebem, qua dioecesis territorium Shillongensis bipertitur, ac nova exinde instituitur dioecesis, ab urbe Dibrugarh, in qua sedes figitur episcopalis, Dibrugarhensis nuncupanda* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 167-169).

12 Julii 1951 — *Const. Ap. Merito ab Apostolica Sede, per quam Apostolica Praefectura Mindorensis in Vicariatum evehitur Apostolicum, qui deinceps, ex Ordinarii sedis Calapan urbe, Calapanensis vocabitur* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 170-171).

1 Augusti 1951 - *Const. Ap. In nimium, qua, partibus a territoriis dioecesium Neo Pampilonensis ac S. Marthae separatis, nova fundatur Praelatura nullius, cui nomen Bertrania erit in Catacumbo* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 171-174).

5 Augusti 1951 - *Const. Ap. Peropportune, cuius tenore Canonicorum Capitulum in cathedrali Ecclesia Czestochoviensi erigitur* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 174-176).

10 Septembris 1951 — *Const. Ap. Digni sunt, cuius tenore Vicariatus Apostolicus Fluminensis in Aequatoriana Republica, nomine haud mutato atque iisdem, quibus ante circumscribebatur, finibus, in Praelaturam nullius asciscitur* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 209-211).

18 Octobris 1951 — *Const. Ap. Quae ad Christi, qua territorii partes, a Vicariatu Apostolico de Bobo Dioulasso distractae, Apostolicae Praefecturae Nounensi adiunguntur, cui, eodem servato nomine, gradus ac dignitas Vicariatus Apostolici decernuntur* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 206-209).

31 Octobris 1951 — *Const. Ap. Aethiopica, per quam novus in Erythraea Exarchatus Apostolicus ritus Alexandrini Aethiopici conditur, « de Asmara » vocandus* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 206-209).

31 Octobris 1951 — *Const. Ap. Paterna semper, cuius tenore novus instituitur Apostolicus Exarchatus ritus Alexandrini Aethiopici, qui,*

civilibus Imperii illius finibus contentus, « de Addis Abeba » appellabitur (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 253-255).

10 Novembris 1951 — *Const. Ap. Ex antiqua, qua Cathedrale Capitulum in templo S. Joannis Baptistae Ragusiae fundatur* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 256-258).

15 Novembris 1951 — *Const. Ap. Non parum, per quam e partibus orientalibus archidioeceseos sive Sydneyensis sive Camberrensis et Gulburnensis territoria distrahuntur, ut inde nova exstet dioecesis Wollongonensis* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 258-261).

13 Decembris 1951 — *Const. Ap. Laetissimo sane animo, cuius tenore, territoriis a dioecesibus Ranchiensi et Nagpurensi seiunctis, nova conditur dioecesis, quae, ab urbibus Raigarh et Ambikapur « Raigarhensis-Ambikapurensis » appellata, sedem habebit episcopalem in Patthalgaum urbe* (*A.A.S.* - 3 Junii 1952, vol. 44, pp. 393-395).

LITTERAE APOSTOLICAE :

7 Octobris 1946 — *Litt. Ap. Coruscantis sideris, quarum vi templum Immaculatae Conceptionis B. M. V., vulgo « da Praia » nuncupatum, intra fines archidioeceseos S. Salvatoris in Brasilia positum, titulo atque iuribus decoratur Basilicae Minoris* (*A.A.S.* - 20 Martii 1952, vol. 44, pp. 358-360).

25 Maii 1947 — *Litt. Ap. Clarae maiorum, quibus S. Gregorius VII, P. M., Patronus caelestis aeque principalis cum S. Mamiliano, E. et M., nec non S. Paulus a Cruce, C., Patronus secundarius totius dioecesis Soanensis-Pitilianensis constituitur* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol.44, pp. 211-213).

13 Maii 1950 — *Litt. Ap. Sedes Apostolica, per quas Ecclesia, Deo in honorem S. Plechelmi in loco « Oldenzaal » intra fines Ultraiectensis archidioeceseos sacra, ad dignitatem Basilicae Minoris, omnibus adiectis privilegiis, evehitur* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 213-214).

8 Septembris 1950 — *Litt. Ap. Venerabilis Decessor, quarum tenore S. Anna, B. M. V. Mater, universae dioceseos ab eius nomine nuncupatae in Republica S. Salvatoris praecipua declaratur apud Deum Patrona* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 360-361).

20 Octobris 1950 — *Litt. Ap. Bellicosiore tempore, vi quarum curiale Templum, in loco « Berlin-Steglitz » intra fines Berolinensis dioecesis exstans, atque B. M. V., Sacratissimi Rosarii Reginae, dicatum, Basilicis annumeratur Minoribus* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 215-216).

13 Aprilis 1951 — *Litt. Ap. Beatae Mariae Virginis, quibus Ecclesia, Deo in honorem B. M. V. « de Perpetuo Succursu » in loco vulgato nomine « Puchheim » vocato sacra, ac Linciensis dioecesis territorio contenta, Basillicae Minoris exornatur privilegiis* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 362-363).

27 Aprilis 1951 — *Litt. Ap. Almam Dei, per quas paroeciale Templum, in loco vulgo « Tongre-Notre-Dame » dioecesis Tornacensis positum, inter Basilicas refertur Minores* (A.A.S. - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 363-364).

27 Aprilis 1951 — *Litt. Ap. Maxima, quarum tenore Basilicae Minoris nomine et iure donatur curiale Templum S. Sepulcri in urbe Barolensi collocatum* (A.A.S. - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 176-177).

11 Maii 1951 — *Litt. Ap. Tot in periculis, vi quarum S. Veronica a Julianis, V., utriusque dioecesis Urbaniensis et S. Angeli in Vado caelestis Patrona aeque principalis cum S. Christophoro, M., et S. Michaele Archangelo renuntiatur* (A.A.S. - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 178-179).

15 Martii 1951 — *Litt. Ap. In summo colle, quibus Templum, Almae Deiparae caelo receptae sacrum in monte « Crea » Casalensis dioecesis, titulo afficitur atque exornatur Basilicae Minoris* (A.A.S. - 10 Martii 1952, vol.. 44, pp. 179-180).

21 Martii 1951 — *Litt. Ap. Militaris virtus, quarum tenore S. Martinus, C., Ep. Turonensis, praecipuus totius Italici Peditatus apud Deum constituitur ac declaratur Patronus* A.A.S. - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 181-182).

26 Maii 1951 — *Litt. Ap. Sacris Aedibus, per quas Basilicae Minoris privilegiis cohonestatur curialis Aedes, B. M. V. in caelum assumptae dicata atque in urbe Illicitana dioceseos Oriolensis collocata* (A.A.S. - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 261-262).

26 Maii 1951 — *Litt. Ap. Gemina, vi quarum S. Maria Goretti, V. et M., pagi cui appellatio « Masi di Larino » intra fines Tridentinae archidioecesis, praecipua renuntiatur caelestis Patrona* (A.A.S. - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 262-263).

9 Junii 1951 — *Litt. Ap. Prope oppidum, quibus B. M. V. Titularis aeque principalis cum S. Joseph, eius Sponso, Basilicae Fratrum Minorum in « Castro S. Eliae » intra Nepesinae et Sutrinae dioecesium fines, declaratur et fit* (A.A.S. - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 263-264).

26 Junii 1951 — *Litt. Ap. Religionem, quarum tenore B. M. V. de Monte Carmelo civitatis ac dioceseos Tricaricensis caelestis Patrona aeque principalis cum S. Potito constituitur* (A.A.S. - Aprilis 1952, vol. 44, pp. 264-265).

27 Junii 1951 — *Litt. Ap. Postquam, per quas collegialis paroecialisque Ecclesia, Deo in honorem B. M. V. in caelum assumptae et S. Martini, Ep. et C., consecrata, atque in oppido Trivilio intra fines archidioecesis Mediolanensis exstans, in Basilicarum ascitur Minorum numerum* (A.A.S. - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 266-267).

12 Januarii 1952 — *Litt. Ap. Quoniam, quibus S. Gabriel Archangelus artium mirabilium, quae vulgo « telecomunicazioni » audiunt,*

earumque opificum et ministrorum caelestis apud Deum eligitur Patronus (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 216-217).

EPISTULAE :

28 Octobris 1951 — *Ep. Pastoralis curae, ad P. Ioannem Baptistam Jansens, Societatis Jesu simulque Consociationis ab « Apostolatu Orationis » Moderatorem Summum, qua nova huius Piae Consociationis Statuta probantur* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol 44, pp. 365-368).

25 Februarii 1952 — *Ep. Hoc vertente anno, ad P. D. Adelchen Albanesi, sacrum Viterbiensium et Tuscanensium Artistitem, septimo elabente saeculo, ex quo S. Rosa a Viterbio terrestre exsilium caelesti patria commutavit* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 218-220).

ALLOCUTIONES :

29 Januarii 1952 — *All. ad virum Rodolphum Yrarrázaval, Litteras porrigentem, quibus munus Oratoris Extraordinarii liberis cum mandatis Chilensis Reipublicae sibi commissum esse ostendebatur* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 184-186).

8 Martii 1952 — *All. ad Urbis Curiones et Concionatores sacri temporis quadragesimalis de externo Urbis eiusdem incremento atque gratiae auctu in ipsius christifidelibus comparando* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 221-225).

10 Martii 1952 — *All. ad virum Ioannem Aemilianum O'Leary, Paraquarianae Reipublicae Oratorem Extraordinarium liberis cum mandatis, qui Litteras demandatae sibi legationis testes deferebat* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 226-229).

25 Martii 1952 — *All. ad virum Hectorem Escobar Serrano, sollemniter afferentem Litteras, quibus fides fiebat partes sibi creditas fuisse Oratoris Extraordinarii liberis cum mandatis Salvatorianae Reipublicae* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 268-270).

13 Aprilis 1952 — *All. ad christifideles, qui, die Paschatis, piae observantiae vota Summo christianae religionis Antistiti in foro Petriano promebant* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 369-371).

NUNTII RADIOPHONICI :

27 Februarii 1952 — *Nunt. Radioph. scholarum catholicarum alumnis Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis ad eorum sollicitandam liberalitatem erga indigentes aliarum Nationum pueros* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 229-230).

23 Martii 1952 — *Nunt. Radioph. ad Italiae christiades, qui ea die ad familiae bonum provehendum, Actionis Catholicae sodalibus praeeuntibus, peculiares egerant coetus.*

In eo christiani nominis Parens summi ponderis argumentum sapientissime explanat, conscientiae videlicet liberorum ad Ecclesiae praecepta, cum in privata tum in publica conversatione, educendae (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 270-278).

13 Aprilis 1952 - *Nunt. Radioph. ad clerum, fidelem populum et universam Japoniae gentem, quibus, sacro Paschatis die, trepidae amantisque voluntatis sensus profert et vota* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 378-379).

27 Aprilis 1952 — *Nunt. Radioph. Austriae christicolis ob sacras celebritates Vindobonae, in cathedrali S. Stephani Templo post accepta bellica damna restituto, habitas* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 379-381).

ACTA SACRORUM CONCREGATIONUM

S. CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI :

14 Novembris 1951 — *Decretum emittitur, quo ad Ordinarii munus pro omnibus christifidelibus rituum orientalium in Brasilia degentibus Cardinalis eligitur Jacobus de Barros Camara, Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Januarii, ipsi facultate facta unum vel plures habendi Vicarios Generales* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, pp. 382-383).

S. CONGREGATIO DE SACRAMENTIS :

7 Augusti 1950 — *Decretum in lucem editur, per quod tribunalia designantur causis nullitatis matrimonii pertractandis dioecesium Insulae Terrae Novae; eaque sunt Halifaxiense in prima instantia, atque in altera Quebecense* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 280-281).

25 Martii 1952 — *Alio Decreto praescribitur causas nullitatis matrimonii novae provinciae ecclesiasticae Sherbrookensis ad tribunal Marianopolitanum esse in posterum deferendas* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 281-282).

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE :

12 Aprilis 1951 - *Decretum pervulgatur, vi cuius fines determinantur Vicariatuum Apostolicorum Zamorensis, de Mendez ac Napensis et Praefecturarum Apostolicarum de Canelos ac S. Michaelis de Sucumbios in Aequatoriana Republica* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 283-285).

19 Augusti 1951 — *Decreto lato archidioecesis Soeiiüenensis in regione Momcuvana, Sodalibus religiosis e Congregatione Immaculati Cordis Mariae hactenus credita, indigenae clero saeculari committitur* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, p. 189).

8 Novembris 1951 — *Decretum publicatur, quo districtus de Bareilly in Indica Republica, ab archidioecesi Agraensi distractus, Luknovensi annectitur dioecesi* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, p. 190).

13 Decembris 1951 — *Decreto promulgato regio de Souanké in Africa aequatoriali ab Apostolico Vicariatu Librevillensi separatur, atque Vicariatui Apostolico adicitur de Fort Rousset* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, p. 234).

14 Februarii 1952 — *Per Decretum territorium Vicariatus Apostolici de Kengtung, quod ad meridiem vigesimi circuli paralleli iacet, ab eodem Vicariatu divisum, una cum contiguo territorio ad Statum de Kayah pertinente atque flumine Salwen et finibus Regni Thailandiae incluso, Vicariatui coniungitur Apostolico de Toungoo* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44 ,pp. 285-286).

S. CONGREGATIO RITUUM :

27 Julii 1951 — *Decretum publicatur, quo causam redintegrari posse statuitur de sanctitatis infula decernenda Beato Caeliti Oliverio Plunket, Armachano Archiepiscopo atque Hiberniae Primati* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 193-194).

27 Julii 1951 — *Decreto vulgato praecipitur instrui causam posse de caelestibus honoribus tribuendis Servae Dei Mariae Rosae Molas y Vallvé, Congregationis Sororum Nostrae Dominae a Consolatione conditrici* (*A.A.S.* - 10 Martii 1952, vol. 44, pp. 194-196).

11 Januarii 1952 — *Decretum, vi cuius praescribitur iniri posse causam ad Beatorum Caelitum numero accensendum Dei Famulum Michaëlem Augustinum Pro, sacerdotem professum e Societate Jesu, anno 1927, ob eius catholicam fidem, in Mexico necatum* (*A.A.S.* - 20 Martii 1952, vol. 44, pp. 385-387).

13 Januarii 1952 — *Decreto constare edicitur de miraculis intercessione Servae Dei patratis Bertillae Boscardin, ex Instituto Sororum Magistrarum a S. Dorothea, Filiarum Sacrorum Cordium* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 286-288).

13 Januarii 1952 — *Alio Decreto sancitur itidem de miraculis constare, quae patrocinio tribuuntur Venerabili Rosae Venerini, Magistrarum Piarum ab eius cognomine nuncupatarum fundatricis* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 288-290).

13 Januarii 1952 — *Per Decretumm declaratur constare de miraculis interveniente Venerabili Raphaëla Maria a S. Corde Jesu, Instituti Ancillarum Sacratissimi Cordis Jesu conditrice, obtentis* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 291-292).

2 Martii 1952 — *Decretum in vulgus editur, quo miracula probantur interventui ascripta Venerabilis Servi Dei Antonii Mariae Pucci, sacerdotis professi ex Ordine Servorum Mariae, oppidi vulgo « Viareggio » curionis* (*A.A.S.* - 12 Aprilis 1952, vol. 44, pp. 293-294).

2 Martii 1952 — *Decreto iubetur tuto procedi posse ad Beatorum Caelitum infula exornandam Venerabilem Famulam Dei Rosam Venerini, Instituti Magistrarum Piarum ab eius nomine appellatarum conditricem* (*A.A.S.* - 20 Martii 1952, vol. 44, pp. 387-388).

2 Martii 1952 — *Decretum, cuius tenore item praecipitur procedi tuto posse ad Venerabilem Servam Dei Raphaëlam Mariam a S. Corde, Congregationis Ancillarum Sacratissimi Cordis Jesu fundatricem, Beatorum Caelitum fastis ascribendam* (*A.A.S.* - 3 Junii 1952, vol. 44, pp. 437-438).

2 Martii 1952 — *Alio pariter Decreto tuto procedi posse mandatur ad Famulam Dei Bertillam Boscardin, e Societate Sororum Magistrarum a S. Dorothea, Filiarum Sacrorum Cordium, Beatorum Caelitum laurea decorandam* (*A.A.S.* - 3 Junii 1952, vol. 44, pp. 438-439).

ACTA TRIBUNALIUM

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA :

3 Martii 1952 — *Decretum fertur, per quod volumen cui inscriptio « Enchiridion Indulgentiarum », preces ac pia opera complectens usque ad praesentem diem a Summis Pontificibus indulgentiis ditata, iterum in lucem prodi iubetur* (*A.A.S.* - 30 Martii 1952, vol. 44, pp. 235-236).

30 Aprilis 1952 — *Alio Decreto christicolis universis, piam invocationem recitantibus: « Domine, doce nos orare », indulgentia trecentorum dierum ac plenaria conceditur* (*A.A.S.* - 20 Maii 1952, vol. 44, p. 389).

ANTONIUS MAURO

CONVENTUS IURIS CANONICI

VIII exacto saeculo, ex quo Decretum a Gratiano editum fuit.

Octavo recurrente centenario a Gratiani Decreto composito Conventus iuris canonici habitus est a die 17 ad diem 22 mensis aprilis a. 1952, quem variis ex causis tanti momenti iudicare cogimur, ut relationem fusiorem hac in nostra Ephemeride mereatur.

Ante iam bellum exortum viri illustres Bononienses et Romani eventum celebraturi erant eo tempore quo secundum placita scientiae hodiernae de facto Gratianus opus suum, 800 annis abhinc i. e. inter aa. 1140-1142, adornavit. Res tamen nec inter nec post bellicos tumultus ad felicem exitum perduci posse omnes opinabantur. Attamen Alma Mater Bononiensis, operante fortiter prof. Josepho Forchielli, qui iam primi consilii centenario provehendo ab actis fuerat, statuit filio suo illustris-

simo, patri et lumini scientiae canonicae dignum honorem reddendum esse utcumque res se haberet. Difficultates non paucae exsurgentes dilationem repetitam convocationis Coetus causabantur. - Interea Universitati Bononiensi Ordo Eremitarum Camaldulensium, cuius socius fuerat Gratianus, sub ductu Superioris Generalis A. Giabbani, sese sociavit in Coetu parando atque adornando, secundam partem quod spectat. Tandem aliquando statutis diebus Conventus celebrari potuit eo cum fructu, quo omnes labores, curae, anxietates, expensae abunde rependebantur.

Viri docti, nomine et scientia ubique terrarum praeclarissimi, ex omnibus Europae et Americae Septemtrionalis partibus Bononiam convenerunt: cultores historiae iuris canonici, romani, civilis, interpretatores antiquorum codicum manuscriptorum atque diplomatum; historiae aevi praesertim medii, historiae theologiae aliarumque scientiarum affinium peritissimi; multi quoque iuris vigentis canonici et civilis professores atque causarum actores sua praesentia demonstrarunt, quantum interesset iuristarum historiam iuris canonici classici non ignorare. Plurimi « Collaboratores » erant « Studiorum Gratianorum » i. e. auctores relationum et inquisitionum, quae occasione centenarii et promovente Universitate Bononiensi exaratae erant. Hi omnes hospites erant et socii nati Conventus. Accesserunt alii viri illustres et scientiarum dictarum periti. Assensionem Conventui legabant alia multa Instituta scientiae promovendae totius Orbis nuntiis sollemnibus et viris vicem suam fungentibus.

Ratio Conventus sese componebat ritibus sacris, actis sollemnibus, consiliis scientificis. Nec deerant digressus amoeni animorum relaxandi causa parati, uti discursationes per loca celebria ad monumenta artium invisenda, liberalissimae sodalium admissiones, convictus amicorum etc. Hospitalitas humanissima atque munifica tam Universitatis Bononiensis quam PP. Camaldulensium effecit, ut Coetus Coetusque socii omnes familiam constituerent, in qua omnibus sese cognoscendi usumque habendi copia erat, quod collaborationem non solum perdurante Conventu fovebat verum etiam in posterum maxime fovebit. Quantum sociis haec omnia profuissent verba pandunt cl.mi prof. Le Bras, ante discessum ab Universitate Bononensi habita, quae ad omnia alia quoque, hospitii loca extendenda sunt: « Bononia dicit Bona omnia: scientia, mensa, amicitia ».

Conventus peregrinabatur per diversa loca: Bononiae habebatur diebus 17 ad 19 aprilis, Ravennae die 20, Camalduli die 21, Romae die 22.

Orditur sollemniter in Ecclesia S. Petronii, ubi Rev.mus P. Superior Generalis Camaldulensium sacrum litavit et Excell.mus Eps. auxiliaris Bambergensis A. M. Landgraf commemorativam Magistri orationem, iuxta Lapidem marmoreum Gratianum, habuit. Postea omnes, toga propriae Universitatis induti, in Aulam Magnam Almae Matris Bononiensis convenerunt, ibique, praesente supremo Reipublicae Praeside, Rector Magnificus, Felix Battaglia, sermonem auguralem dixit et nuntium Summi Pontificis perlegit, quo Pius Pp. XII, viris laboribusque Conventus omnia fausta precans, tempora renovavit, quibus Summi Pontifices et schola canonistarum, praecipue Bononiensis, communi labore ius ca-

nonicum classicum efformabant, quod in Corpore Iuris Canonici comprehenditur, cuius Gratiani Decretum fundamentum recte iudicatur. En verba Summi Pontificis: « *Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. - Quod Nobis renuntiatum est, Bononiensem Studiorum Universitatem octavum exactum saeculum mox celebraturam esse, ex quo Decretum a Gratiano editum fuit, cum haud uno nomine sit valde probandum, id ipsum laude exornare Nostra non ambigimus.*

Decorum profecto et utile est praeclarum istud doctrinarum domicilium tanti viri, qui istic vixit et iuris ecclesiastici disciplinam professus est, opus plurimi momenti et molis novis studiis in apricum proferre et variis ex partibus illustrare. Gratianus enim propterea quod ecclesiasticos canones elapsarum aetatum - ingentem et informem legum cumulum - reperit, ordine collocavit, sapienti addita commentatione digessit, apud posteros merito aestimatus est ecclesiastici iuris docendi altor et parens. Cuius eximii laboris tantus fuit exitus, ut innumeri iuris cultores postea in explanationem eiusdem Decreti incubuerint indeque legum scientia imbuti sint; quod quidem Decretum primum editorum canonum Corpus fuit et Codici iuris canonici publica auctoritate promulgando, quamvis diuturna post aeva, iter quodammodo stravit.

Optamus igitur avemusque, ut doctorum virorum conventus, istic habendus, prosperos assequatur effectus atque tot inter avia et devia quibus praesens, infestum virtuti, exagitatur saeculum, recti et iusti amor pollentior inde effloreat. In hoc eximio et perutili studio praecellere sane debet Bononiensis studiorum Universitas, quae tot inter praeclaras laudes per saeculorum decursum demessas, Gratiani nomen et opus recenset, itaque per virtutis et doctrinae, negatum ignavis, iter, ad celsiores usque ascensus excipit incitamenta. Quod quidem dum vehementer cupimus, salutaria et fausta a summo aeternoque Deo, a quo cuncta defluunt bona, tum tibi tum universis, qui supra memorata agent sollemnia necnon laboribus, quos ipsi exantlabunt, et consiliis, quae provida sument, adprecati, Apostolicam Benedictionem impertimus. - Datum Romae apud S. Petrum die XX mensis Martii anno MCMLII *Pontificatus nostri decimo quarto.* PIUS PP. XII ».

Perlecto venerabili documento, quod omnes gratissimo animo exceperunt uti pignus felicis exitus laborum Conventus ipsius, tres Laureae ad honorum conferuntur: In iure cl.mis proff. St. Kuttner et G. Le Bras, qui et primo secundoque loco Consilio scientifico praesidebant, in philosophia Exc.mo Domino A. M. Landgraf. Oratione denique sollemni cl.mi Kuttner Magistri Gratiani opus et momentum dignissime et peritissime commemorantur.

Post meridiem portae expositionis Codicum manu scriptorum atque librorum incunabulis impressorum ex multis Europae regionibus collectorum sollemniter aperiuntur, qui libri et optima quidem descriptione, typis impressa, illustrantur.

Insequenti die denique coetus scientifici laboris incipiunt. His in ipsis minime relationes collaboratorum perlegebantur, uti fieri solet, quod iam magno sociorum numero impossibile fuisset, sed, praemissa relatione circa argumenti summa lineamenta atque quaestiones inhae-

rentes, totum tempus discussioni et disceptationi inter viros peritos habendae relinquebatur, ut futuri labores indigitarentur et, praesertim quoad editiones textuum iuris classici eiusque doctrinae, collatis consiliis praeordinarentur.

Tria argumenta fundamentalia pertractanda erant: 1. Conspectu bibliographico iuris canonici classici fructus laboris praeteriti atque status quo scientiae huiusmodi demonstrandi erant. 2. Super hoc fundamentum necessitas atque conveniéntia studii et investigationis praesentis et futuri temporis in tota regione iuris canonici classici ostenderentur oportuit. 3. Inter huiusmodi labores quam maxime editiones urgent; ideoque consilia rationesque earum paranda erant.

Deficiente unico relatore primi thematis singuli de singularum regionum bibliographia disserebantur: Cl.mi Feine et Lindner pro regionibus linguae germanicae, Metz pro Gallia, Beneyto-Perez et P. Bidagor pro Hispania, Wagnon pro Belgio, Ullmann pro Britannia et Statibus Confoed. Amer. Septemtr., Stickler et Bertola pro Italia.

Disceptatio de rationibus studii iuris canonici classici, apud Universitates Studiorum necnon de mediis, quibus eiusmodi labores et inquisitiones foverentur, tunc habenda fuisset. Cum tamen maxima concordia de illis regnaret (cf. Votum secundum et Votum particulare Italorum), et de istis iterum in sequentibus argumentis sermo rediret, praesertim tamen cum his in rebus « non solum scientia sed etiam potestas necessaria » esset, qua Coetus minime pollebat, urgente quoque tempore, statim ad secundum argumentum transitus factus est.

Relator, cl.mus prof. Le Bras, expositionem suam coepit exhibens summarium inquisitionum, quae a collaboratoribus pro « Studiis Gratianis » exarata et ex parte iam typis impressae erant, nondum tamen publici iuris factae (tria volumina omnes labores continentia hoc anno prodibunt). Hae inquisitiones circa omnia fere obiecta scientiae iuris canonici classici: fontes, multasque quaèstiones crisim textuum spectantes, opera doctorum, praeprimis tamen circa doctrinam Decreti et iuris decretalium de plurimis institutis capitibusque canonicis versantur. Magnus numerus disquisitionum plane demonstrat actualitatem quam vocant studii iuris canonici classici, quod continetur non solum in Decreto et Decretalium collectionibus verum etiam in operibus glossatorum, qui doctrinam classicam iuris decretalium exstruebant. Hinc inde exsurgit possibilitas, convenientia, necessitas ulterioris studii harum scientiae canonicae regionum haud vel parum exploratarum, quo aliae quoque scientiae fruerentur, si attendatur ad intimum nexum, quo illis temporibus omnes coniungebantur, aliae ab aliis dependebant.

Statim incipit de nonnullis argumentis viva disputatio inter viros singularum doctrinarum peritissimos: prae ceteris de Decreti divisione, de relationibus inter Decretum et textus iuris civilis, praecipue tamen de iure naturali in Decreto et in iure Decretalium. Dolebant omnes, propter instantiam thematis tertii tunc discussioni finem imponi debuisse. Quae resurrexit tamen Camalduli, ubi in tribus coetibus particularibus argumenta particularia fusius atque profundius disceptabantur. Primus coetus quidem de argumentis doctrinae canonicae classicae

disputationem instaurabat et praecipue de foro interno et externo necnon de instituto decimarum. Secundus coetus agebat de quaestione editionis fontium praegratianorum (prof. D'Ercole) et fusius de causa vexata methodi crisis textuum, quod fundamentum constituit cuiusvis editionis etiam textuum iuris medii aevi (P. W. M. Peitz S. J.). Huiusmodi problemata ex parte, saltem quoad methodum, iam campum tertii thematis ingrediuntur.

Hoc caput princeps a Conventu tractandum aestimari debet: De Corpore textuum mediovalium iuris canonici parando. Quaestio difficilis, implexa, maximi momenti, opus desideratissimum et communi tantum consilio atque labore faciendum. Praeprimis ergo quaestiones omnes huic operi inhaerentes a sodalibus speciali modo peritis explanandae, discutiendae, solvendae erant, ita ut totus labor atque cooperatio in posterum praestanda iam maxime determinata essent.

Relator, cl.mus prof. St. Kuttner, scientia et peritia qua praecellit, de statu praesenti textuum et editionum iuris canonici classici disserebat: De Decreto, de Decretalibus, de operibus glossatorum; de methodis, experientiis, mediis. Relatio praecipue discussionem praeparabat ostendens quaestiones principales, quae ad editiones parandas disceptari ac solvi debebant: Editio nova Decreti Gratiani, Editiones Summarum, glossarum; media necessaria, methodus laboris eiusque moderatio.

Sequebantur relationem ante omnia expositiones quorundam, qui de particularibus capitibus iam inquisitiones fecerant et cum omnibus fructus et experientiam proprii laboris communicabant (Rambaud, Ullmann, Boulet-Sautel, Prosdocimi, Holtzmann).

Deinde discussio stricte dicta initium habuit. Praeprimis de principiis generalibus et fundamentalibus operis editionum plures sententiam suam protulerunt, quae omnes accurate disceptabantur. Omnibus rationibus diiudicatis haec omnibus placebant: Editiones non solum canonistis sed etiam viris doctis aliarum scientiarum pro inquisitionibus, praesertim sub aspectu historico, valde utiles immo necessarias esse; ideoque quam citissime parari debere cooperatione communi omnium et sepositis exigentiis nimiae perfectionis, quae difficultates insuperabiles temporis et operae interponerent. Nihilominus tamen postulatis generalibus criticae modernae textuum necnon specificae indoli textuum iuridicorum plane respondendum esse. Principia metholica quam maxime obiectiva statui debere, ut editiones multarum diversarumque scientiarum cultoribus inservirent.

De modo particulari et de ratione concreta operis perficiendi tertius coetus Camalduli congregatus deliberabat, qui componebatur viris speciali scientia atque peritia instructis uti cultoribus palaeographiae, historiae iuris canonici et romani, historiae medioaevalis etc.

Causae disceptandae statim propter diversas rationes distinguebantur: Editio Decreti et editiones operum glossatorum; munus alicuius Sedis primariae internationalis seu Praetorii maximi et partes Sedium primariarum nationalium, quarum constitutio ad opus cito absolvendum necessitudo absoluta ab omnibus iudicabatur.

Editionem novam Decreti quod spectat omnibus videbatur Sedes pri-

marias nationales laborem praeparatorium potius absolvere debere: quaerere codices manuscriptos, eos in album referre, descriptionem quoad notas palaeographicas atque iuridicas componere, in classes vel familias, iuxta methodum adhuc definiendam, distinguere, cooptare cooperatores scientiae peritos, curare totam huius laboris praeparatorii, in propria Sede praestandi, moderationem, comparare media necessaria.

Ex Praetorio maximo ante omnia labores Sedium nationalium instruendi sunt atque cum aliorum laboribus componendi: definiendae methodi in communi opera adhibendae (quod collatis consiliis fiet, ut ad principia atque applicationes communiter apta atque ad uniformem et constantem laborem conducant), colligendi fructus huius laboris praeparatorii atque congerenda tota et plena materia, qua praeparatio editionis indiget; elaboranda editio ipsa opera adhibita adiutrice omnium eorum, quos in collegium cooperatorum Sedes primaria internationalis cooptare velit ex his quoque, qui iam in Sedibus nationalibus operi adlaborarunt. - Locum aut regionem Sedis primariae internationalis, cum quo aliae quaestiones, praesertim moderatorum principalium atque facultatum opumque, connectuntur, Conventus deligere et constituere non valuit.

Editiones textuum doctrinalium glossatorum quod attinet disceptabantur rationes operum a textu legali solutorum uti sunt Summae, Commenta, Quaestiones et alia id genus. Hic quoque labor editorialis a Sede primaria internationali moderandus est, ita ut collaboratio ordinata evadat. Huiusmodi editiones curari possunt etiam in Sedibus nationalibus. In ordinatione atque distributione vel selectione operum edendorum a singulis Sedibus prae oculis tamen habendae sunt rationes generis litterarii, scholae, temporis, locorum, ad quae pertinent ea ipsa opera. Item omnibus placuit ista completa et integra, non tantum fragmentarie, edenda esse.

Sedes primaria internationalis absque dubio indigebit ephemeride, qua omnibus aliis Sedibus atque cooperatoribus omnia scitu necessaria communicentur, quoad moderationem laboris; quaque praesertim pro omnibus, quorum interest, iam fructus praeparatoriarum inquisitionum publici iuris fiant. Huiusmodi inquisitiones ad labores editionis, uti fontes, textus, criticam externam et internam et alia eiusmodi spectabunt. Dissertationes autem doctrinales de institutis iuris canonici classici in « Studiis Gratianis » edentur, quae periodice prodibunt (cf. Votum primum).

Dolendum quod, propter defectum temporis, de editionibus glossarum sensu stricto consilia conferri non potuerunt.

Imaginem omnium, quae hic de conventu consilioque scientifico relata sunt fideliter reddunt « Vota », quae in coetu plenario ultimo, in Aula Capitulari monasterii Romani PP. Camaldulensium in Monte Coelio, habito, ab omnibus sodalibus approbata et in sollemni Congregatione finali, apud aedes Pontif. Athenaei Lateranensis acta coram Em.mis S. R. E. Cardinalibus, Curiae Romanae Praelatis, vices Gubernii civilis Gerentibus, multis illustrissimis et doctis viris a Rectore Magnifico Universitatis Bononiensis perlecta cumque omnibus communicata sunt:

« *Il Convegno internazionale che si è riunito su invito dell'Università di Bologna allo scopo di celebrare la ricorrenza dell'VIII centenario della composizione del Decretum Gratiani plaude all'iniziativa dell'Università stessa intesa alla rivalutazione della memoria del Maestro dello Studio Bolognese ed auspica fervidamente la ripresa dello studio sulla storia della canonistica medioevale, sulla base di una concorde e solidale collaborazione degli studiosi specialisti di ogni Paese ed esprime i seguenti voti:*

1) *Che la raccolta degli « Studia Gratiana » possa continuare così come ha felicemente iniziato.*

2) *Che considerando l'importanza storica e sempre viva del diritto canonico per la cultura ed in modo particolare per la formazione del giurista:*

a) *il convegno internazionale auspica una intensificazione dell'insegnamento e dello studio del diritto canonico stesso e della sua storia nelle Università;*

b) *lo stesso Convegno con viva simpatia prende atto del desiderio dei colleghi italiani di vedere istituire delle cattedre di diritto canonico nelle Facoltà di Giurisprudenza italiane come materia d'obbligo per la laurea in Giurisprudenza.*

3) *Poichè la storia delle idee e delle istituzioni medioevali che sono il fondamento del presente non può essere studiata senza una conoscenza esatta dei testi del diritto canonico classico; il Convegno, considerando*

a) *che le edizioni del Decreto e delle Decretali esistenti non corrispondono più, nonostante i loro grandi meriti, alle esigenze della scienza contemporanea;*

b) *che una grandissima parte delle opere dei Decretisti e dei Decretalisti (Summae, Glossae, Commenta, Quaestiones ecc.) è rimasta finora inedita, incarica il Comitato promotore (i proff. Kuttner, Le Bras, Forchielli) di provvedere coll'assistenza di un gruppo di consulenti di varii Paesi (Kuttner, Fransen, Rambaud, Holtzmann, Landgraf, Santifaller, Plöchl, Forchielli, Concetti, G. Rossi, Stickler, Guizard, Ourliac, Battelli, Hunt, Ullmann, Bidagor, Prosdocimi ed altri che si riserva di aggiungere) alla costituzione di un organismo permanente per la realizzazione delle necessarie edizioni;*

4) *Considerando la grande importanza dei testi canonici pregrazianei per la storia del diritto, della teologia e della Chiesa in genere e consapevole della connessione delle collezioni canoniche antiche col Decreto: il Convegno inoltre raccomanda che si prendano delle iniziative concrete per l'attuazione scientifica di una « Collectio fontium iuris canonici antiqui » e propone che si costituisca una commissione a questo fine.*

5) *Il Convegno, con viva soddisfazione prende atto delle iniziative per il censimento dei documenti pontifici giacenti negli archivi di Europa e dell'America da Innocenzo III fino a Martino V e augura che il progetto avanzi rapidamente* ».

Inoltre « I partecipanti italiani al Congresso rilevando che gli at-

tuali ordinamenti delle Università dello Stato italiane dànno un posto del tutto inadeguato allo studio del diritto canonico, tenuto tra le materie complementari, e, come tale, neppure fatto oggetto, nella maggior parte delle Facoltà Giuridiche, di un corso regolare e continuativo; considerando l'esigenza che gli studi di questa disciplina siano in Italia vieppiù diffusi e approfonditi, e per l'alta dignità della materia in sè stessa e perchè si possa corrispondere all'aspirazione, frequentemente e nei più diversi ambienti manifestatasi, di proficui contatti tra gli studi canonistici e gli studi delle altre discipline giuridiche, tributarie per ragioni storiche del diritto canonico; considerando altresì che nella formazione culturale della gioventù il diritto canonico, anzichè essere conglobato, come spesso avviene, nel corso di diritto Ecclesiastico, nel quale non è possibile che esso abbia adeguato svolgimento, dovrebbe invece, per la sua posizione storica e per il suo grandissimo valore di fonte di numerosi istituti del diritto statuale moderno, avere posto, con dignità pari a quella del diritto romano, al cui insegnamento è attualmente destinato un copioso numero di cattedre con un ricco complesso di mezzi di studio; ricordando che negli altri Paesi di diffusa cultura giuridica, anche indipendentemente dalla composizione religiosa della popolazione, il corso degli studi nelle Università statali contempla il diritto canonico e la sua storia come di rango primario, esprimono il voto unanime che sia attribuito al diritto canonico il grado di insegnamento fondamentale per la laurea in giurisprudenza, in corrispondenza della importanza della disciplina, della sua necessità per una completa formazione culturale dei giovani, secondo le tradizioni delle Università italiane, che nei primi secoli del loro fiorire tennero alto l'insegnamento di tale disciplina, che fu e rimane loro grandissimo vanto nella storia degli studi ».

« Un'altra mozione è stata votata dagli storici italiani e cioè che venga introdotto nell'elenco delle materie complementari per gli studenti della facoltà di giurisprudenza delle università statali anche l'insegnamento delle fonti storiche del diritto canonico, il quale insegnamento, così importante per la storia del diritto italiano, è trascuratissimo.

L'insegnamento delle fonti storiche del diritto canonico potrebbe anche prendere il titolo « Esegesi delle fonti storiche del diritto canonico » cosicchè alle singole facoltà giuridiche universitarie si lasci la possibilità di accogliere fra le proprie discipline anche questo corso di esegesi.

La materia complementare della storia del diritto canonico dovrebbe però riguardare la storia non solo delle fonti ma anche la storia delle istituzioni e la storia delle dottrine ».

Culmen et corona Conventus absque dubio Audientia fuit, qua Summus Pontifex die 22 Aprilis omnes sodales benignissime excepit atque benedixit. Allocutionem habuit desideratissimam, qua sapientia, scientia, peritia causam Gratiani totiusque iuris canonici classici explanavit et proposita investigationis et laboris editorialis quoque indigitavit confirmans auctoritate suprema studia votaque Conventus, quod omnes

maximo gaudio affecit. Propter momentum magnum huius Allocutionis Pontificiae eam ex integro transcribimus.

« Voluistis, praeclari viri, singularem sollemnemque in modum octies revoluta saecula, ex quo Gratiani Decretum editum fuit, celebrare. Sapientiae plenum erat huiusmodi consilium, quod feliciter in rem deductum est. Enimvero praeter plane eruditos viros, praeter eos, qui sacros canones colunt et forensem operam profitentur, plerique hominum, etiam doctrina instructi, quamvis litteras, ingenuas artes, orbis terrarum historiae enarrationes et eventuum series animo repetere consuescant, raro tamen studia et curas suas conferunt ad id genus rerum, quas ipsi nunc memorando pertractastis.

Summopere igitur oportet, ii per vos penitus intellegant aut saltem inchoata cognitione respiciant, quantum Decreti eiusdem sit momentum et gravitas.

Itaque animus Noster, dum obsequio et humanitate vestra delectatur, avet etiam de opera et industria vestra gratulari. Hanc publica aestimatio non poterit parvi pendere, sive consideratur perpetui conaminis granditas, cuius Gratiani Decretum prosper est eventus et exitus, sive palam fiunt eius usus et egregia inde parta emolumenta, sive declarantur, abditae quidem canonicis formulis specie severis et arescentibus, pulchritudo, sanctitudo, materna caritas Ecclesiae in munere obeundo, quod ad leges ferendas, ad iudicia exercenda, ad sententias exsequendas pertinet.

I. Ut quis aeque perpendat molem laboris, quem Gratianus suscepit et omnino laudabiliter, quamvis indubia menda contineat, perfecit, necesse est, intret in inextricabilem silvam documentorum a primordiis christiani nominis usque ad medium saeculum duodecimum, quae illic compinguntur: coacervantur enim exscripta, quae e Sacris Scripturis, e Sanctis Ecclesiae Patribus, e legibus tum canonicis, tum civilibus deprompta sunt.

Inspicienti etiam leviter Tabulas in Prolegomenis criticae editionis a Friedberg confectae, patent ecclesiastica et iuridica documenta, paene infinitum veluti rete arteriarum et venarum, per quae Ecclesiae vita ab apostolico aevo per primos christianae aetatis mille annos diffunditur, inexhausta formarum varietate conspicua, sive in Orientalibus, sive in Occidentalibus regionibus, certationibus et triumphis insignis, eo quidem iugi et adsiduo nisu dedita, ut omnes nationes christianae humanitatis cultu instituat et formet, Orientales, Romanas et Germanicas antiquitates spiritali patrimonio suo quodammodo hereditatis partes adiciens.

Quod Iustinianus in iure Romano ordinando fecerat, id simili quadam ratione in iure canonico Gratianus fecit; atque mirum in modum nisus est, ut Decretum unitate, apta structura, consensione innumerarum diversarumque partium, quae ibidem collectae et dispositae sunt, praeluceret.

Unitatem dicimus; profecto Corpus iuris hoc praecipuum exquirit ornamentum, hanc proprietatem. At vero quam difficile erat Gratiani aetate invenire cardinem, quo huiusmodi unitas toto suo pondere ferre-

tur in tanta copia et amplitudine legum, ex quibus disciplina ecclesiastica suas hauserat formas. Ipsamet inscriptio « Concordia discordantium canonum », quam admodum probabiliter auctor ipse, Camaldulensis monachus, suo indidit operi, mirantibus oculis eorum, qui in disciplinae ecclesiasticae labyrinthum gressum inferre ausi erant, radianti in lumine collocavit granditatem illius consilii praeclari quidem ingenii, quo is sperabat se sanaturum esse malum itemque vitaturum impedimentum, in quod alii bene multi pedem offenderant.

Haec unitas dicenda est plus minusque arbitrarius et artificiosus congestus. Magistro meritae retribuitur laudi, quod eandem unitatem statuit in convenientia et consonantia methodicae structurae, quo multo minoris aestimanda sunt retro compacta Collectanea. Enimvero is in iuris historia eminet veluti coryphaeus, qui multitudini discipulorum et explanatorum praeit.

Cum omnes Gratiani opus summi esse pretii communiter ducerent, superiorum aetatum canonicas sylloges deseruerunt, ut in « *Concordiam* » sua conferrent studia eandemque commentariis illustrarent. Hic enim lucidus ordo; hic legum latarum materies, immanis indigestaque moles, perite selecta, disposita, coniuncta, rationi et censurae subdita, ut rerum significatio et momentum elucerent. Inde Decretistarum, quos vocant, variae Scholae originem duxerunt: Bononiensis, Gallica, Anglo-Normanna, Hispanica, quae insigni certatione invicem praeripere honorem contendebant, quaenam ex iis sagacius et subtilius Gratiani contextum intellegeret, quaenam melius explanaret vim et legitimam significationem, quam is *Auctoritatibus* et suis praeclaris *Dictis* dederat. Quae scholae universae, quasi fulgens spectatulum, iuridicae et canonicae doctrinae omnigena documenta obtulerunt quae maiorem ciebunt admirationem, si, ut optandum est, in Decrestitarum Corpus redacta erunt.

Haud putandum est Gratiani gloriam infuscari, si ea manifesta fiunt quae is decessoribus debet suis, tum canonistis, ut aiunt, et theologis, tum aequalibus aetate iuris cultoribus, in quibus praestat Irnerius, *lucerna iuris*, in Bononiensibus scholis florens iuris facile princeps.

Singulare et proprium est Dei, qui cum nemine id participat, ut res ex nihilo condat. Opera contra hominum, licet celsa et sublimia et suis constantia viribus, licet in humani generis eventibus numquam defutura imprimant vestigia, omnia tamen connectuntur cum praeviis quibusdam rebus, quae illa praepararunt et possibilia effecerunt. Poterunt futura aetate eruditi viri nova indagando arguere — a limine hoc non reicimus — *Decreti* opus vindicandum esse alicui Monachorum conlegio, circa solum magnumque pluteum Camaldulensis Coenobii a SS. Nabore et Felici coalescentium, tamen verum indubitatumque hoc erit a Gratiani opere in historia iuris canonici novum saeculorum ordinem ortum esse ita quidem, ut haud immerito a Sarti (*De claris Archigymnasii Bononiensis Professoribus a saec. XI usque ad saeculum XIV*, *Bononiae*, *t. I pag. 344*, *n. XXVI*) auctor, de quo agebat, hac nota indicaretur, « *quasi parens et auctor iuris canonici deinceps habitus est* ». Per ipsum revera ius canonicum eo dignitatis evectum est, ut id in iuris doctrina

omnino necessarium autumaretur, tum in eius disciplina impertienda — quod quidem Gratianus felici auspicio Bononiae facere incepit —, tum in iuris prudentia atque in ipsis legibus ferendis. Ut Gratiani Decretum in Galliam, in Hispaniam, in Angliam, in Germaniam pervenit, ubi eodem tempore opera Irnerii et Bononiensium iuris cultorum propalabant vulgabantque notitiam iuris romani in novam redacti formam, statim iuris canonici disciplinam in aequo dignitatis gradu collocabat efficiebatque, ut *Summae*, *Glossae*, *Apparatus* inde originem ducerent, quae quidem praesertim in Bononiensi et Parisiensi Universitatibus studiorum praemonstrant auream exorsam aetatem classici, ut aiunt, iuris canonici atque ad universae iuris doctrinae incrementa praecipue contulerunt.

II. *Decretum Gratiani*, ut omnes sciunt, ab Apostolica Sede numquam ratum habitum est. Quod nemo stupet, dummodo cogitet, quid propositi Camaldulensis monachus operi suo statuerit, quam rationem et viam in eo conscribendo secutus sit, quinam huius incepti exitus fuerint. Multum haud dubie interest inter id, quod Gratianus industria et opera sua persolvit, et id, quod ex mandato Iustiniani imperatoris ad huius legum collectanea conficienda Tribonianus eiusque adiutores peregerunt.

Ipse *Concordiae* auctor, quasi in aes verba incidens, adfirmavit: *Negotiis definiendis non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas (dictum Gratiani* ante c. I, D. XX).

Nullum indicium est Romanam Curiam Bononiensi monacho mandasse ut suum Decretum conscriberet. Perperam hoc aliqui opinati sunt, labili coniectura excepta ex inscriptione, qua opus e manibus auctoris in lucem prodivit *Concordia discordantium canonum.*

Tamen Decretum statim optima floruit opinione, non solum quia praesertim apud Alexandrum III Romanum Ponificem (Rolandum Bandinelli), Gratiani explanatorem et abbreviatorem, cito gratiam invenit, verum etiam quia tum Curiae tum Scholae magnopere cupiebant possidere Sacrorum Canonum syllogem, in qua inter se repugnatia et inutiliter repetita abessent. Accedit quod allegatae auctoritates generatim de tuta eius spondebant doctrina.

Decreti conscriptio et explicatio canonum, qui specie inter se discrepabant, disciplinae iuris canonici parem dignitatis locum impertierunt ac ille, quo eminebat ius civile, ab Irneriana schola ad celsa fastigia provectum; una simul communi Ecclesiae disciplinae pollentem attulerunt vigorem, qui quantum secum ferret utilitatis subsecuta saecula demonstrarunt. Theologiae et sacrorum canonum cultores mutua quadam contentione exscripta locosque ferendo, interpretando, enodando, conciliando, magnopere profuerunt, ut constabiliretur unitas, innixa fundamentis tum theologicis tum iuridicis disciplinae optimae: indeque et ingeniis et moribus magnum exstitit emolumentum. Ecclesiastici iudices deinceps poterant firmiter et tuto ius in usum actionemque vitae deducere.

Nihilo secius silentio praeterire nec possumus nec volumus errores, in quos Gratianus lapsus est: exscripta falsa vel dubia in *Concordiam*

recepta; iuridica antiquitatis documenta, minoris aestimanda, saepius allegata; mendosae historicae inscriptiones haud paucae prolatae. Nec dicimus nonnullas eius sententias non congruere cum doctrinis aetate posterioribus, quae eas refellerunt vel emendarunt.

Certo excusabilia sunt huiusmodi errata in tam ponderosae molis opere; at eadem haud minore necessitate exquisiverunt correctionem Decreti, quam nonnulli Romani Pontifices, praesertim Gregorius XIII, eximiis ecclesiasticis viris demandarunt et alii excellentissimi viri docti postea prosecuti sunt.

Manifesto oportet, Romanorum Correctorum editio, in magnam inserta Collectionem, quae *Corpus iuris canonici* constituit, permaneat. Attamen nihil prohibet, quin etiam omnino optabile est, ut, quemadmodum laudabiliter a quibusdam propositum est, typis cudenda paretur nova critica editio: ita hac in re historiae decursus patebit; evidentiore in lumine ponentur rationes et viae, quibus opus conditum est, necnon explanationum sensus, egregii Camaldulensis coenobitae promerita eiusque industriae processus; nodosae et intricatae exsolventur quaestiones, quae Romanae Ecclesiae disciplinae progressum indagantibus interdum occurrunt. Haec autem critica editio conficienda est prout nunc temporis ars et ratio exigit: nam Friedbergensis editio, quamvis indubiis laudibus praestet, iam non satisfacit votis eorum, qui in remanda iuris canonici historia praeminent.

III. Saepius iuridicae disciplinae tum civili, tum canonicae, et eius contextibus, legibus, codicibus ii qui in ea rudes et imperiti sunt, inamabilis et severi vultus lineamenta fingunt; ibidem nihil aliud reperiunt praeter *fas* et *nefas* adsidue ingeminata nomina. Inde liquidum est ipsos eam non callere et, prorsus evidentius, in eius penetralia ingressos non esse. Quodvis humanarum legum corpus refert sui vultum auctoris, sive is singulus homo est, sive consociatio, sive natio. Antiquae Urbis amplitudo et dignitas suo ipso nitore collustrarunt gravitatem legum duodecim tabularum, quae, ut *Livius* (*l. 3 n. 34*) ait, in « inmenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo » « fons omnis publici privatique iuris » exstabant.

Nonne lex Dei, etiam antiqui Foederis, quae lex timoris appellata est, tantummodo cum ad novam compararetur, supernam maiestatem et paternam clementiam Creatoris et Magistri maximi, quasi splendidis emissis radiis, praetulit? Qui solum metu correpti illam verentur, o quam alio obtutu eam aspiciunt ac Psaltes contemplabatur: « *Quam dulcia palato meo eloquia tua! super mel sunt ori meo* » (*Ps. 118*, 103).

Numquid Christi lex, caritatis lex, poterat carere lineamentis, quae eam reddunt amabilem? Poterat eius Ecclesiae legi materna benignitas abesse? Minime gentium. Videbatur tamen haec sentiendi dulcedo quasi comprimi et compesci legum particularium et subsequentium, quae per saecula coaluerunt, congerie. Recentiora studia, quae in Gratiani opera versantur, demonstrarunt canonicis legibus singularem notam et laudem inesse humanitatem, illum nempe christianae doctrinae et conscientinae sensum et afflatum, qui ad « investigabiles divitias Christi » (*Eph.* 3, 8)

hominis animum admovet et qui illam ita extollit, ut haud infitiendam Romani iuris celsitatem prorsus transvehat.

In Gratiani Decreto, ob ipsa varia, quae ibidem proferuntur, auctorum documenta, perquam solido inveniuntur consociata foedere theologia et ius canonicum: hoc nempe illic in profundum christianae revelationis agit radices, inde almos haurientes latices, qui sunt *temperantia*, *humanitas*, *asperitatis remissio*, *caritas*. Quibus virtutibus et temperamentis iam ab initio iuri canonico proprius inductus est color et, quasi sigillum cera impressum, applicata est *aequitas christiana*, quae brevi in *aequitatis canonicae* formam transivit. In nonnullis operibus, quae Gratiani Decretum aetate antecesserunt, ut in *Libro de misericordia et iustitia* Algeri Leodiensis, in *Libro de vita christiana* Bonitii, Sutrini Episcopi, in *Panormia* Ivonis Carnutensis novo iubare emicat radiatque caritas, cuius spiritus intimam Ecclesiae vitam movent et alunt.

Apud Gratianum catholica doctrina numquam hoc spoliatur temperamento, quo destrictum ius materna et ad miserandum propensa caritas lenit ac mitigat, temperamentum inquimus, quo Romani Pontifices et Sancti Patres ecclesiastici iuris auctoritatem imbuerunt. Oporteret hic allegari integram causam XXIII alterius Decreti partis ac primas *Distinctiones* causae XXXIII (quaest. III), quibus celeberrimus tractatus *de Poenitentia* constat.

Quomodo obsurdescere poterant animi Ecclesiae Christi pastorum supplicibus sine intermissione vocibus, quibus caritas paternae urget mentis praecordia? « *Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum. Verum in huiusmodi causis, ubi per graves dissensionum scissuras non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacent, detrahendum est aliquid severitati, ut maioribus malis sanandis caritas sincera subveniat* ». (C. XXV, D. L.). Magnum hoc sonet monitum iis omnibus, qui aliquod munus homines regendi exercent, legum conditoribus et iudicibus! Ubinam aptius potiusque illustrantur animi dotes, quas Pastorales Litterae S. Pauli Apostoli ab moderatoribus flagitant, quam in Distinctionibus primae partis Decreti (D. XXV, ad D. L.)?

Romani Pontificatus defensio, eius actio, quae Christiades regit et in unum consociat, ecclesiastica vita, sacrarum rerum mercatura et laicorum usurpationibus exsoluta, patrimoniorum ordinatio, spiritalis christifidelium cultio praesertim sacramentorum usus et frequentia, socialis vitae officia, domesticus coniugum convictus, sacra liturgia, iudicia et poenae, et haec omnia locupletissime expositis iuris fontibus illustrata: haec est summa paene immensi operis, quod « *Magister Gratianus, divinae paginae doctor egregius* » (*Cod. Mon. Lat. 16084* in *Archiv für kath. Kirchenrecht* vol. 69, 1893, pag. 382) scripsit.

De canonicis collectaneis antiquioris Medii Aevi adfirmatum est fusiorem notitiam, quam super his praesens attulit aetas, magis magisque declarare magnum earum pondus atque momentum quod attinet ad historiam opinionum ac doctrinarum, etiam de Ecclesiae vita, institutionibus ac regimine (cfr. *Ghellinck S. I., Le muovement théologique du XII siècle* ², pag. 417). Quod quidem verius quadrat ad *Decretum* Magistri

Gratiani; nam id, quasi splendidis illuminans rem coloribus, plane testatur, quonam afflatu et instinctu Ecclesiae disciplina, eius Summorum Pontificum potestas, eius Antistitum sollicitudo et cura egerint ad compescenda populorum vitia et perturbationes, ad morum legis constabiliendum imperium singulis et sociatis hominibus valiturum.

Insigni Bononiensi Universitati studiorum, quae iure meritoque gloriatur de Gratiano in praeclarorum virorum suorum numerum adscito, et sibi honori tribuit immortalis eius Decreti octies saecularia sollemnia, una simul cum permultis egregiis sacrorum canonum et iuris cultoribus totius orbis terrarum, concelebrare, hodie gratulationes et vota Nostra depromimus: valeat ipsa etiam in posterum docta fingere ingenia, digna quidem, quae superiorum aetatum hereditatem excipiant atque ita ad christianae humanitatis et cultus sacrum patrimonium tuendum actuosas conferant vires. Solum enim christianae vitae et humanitatis praesidium potest impedire, quominus humanum genus in funestos barbariae errores morumque perversitatem relabatur, et, ad celsiores felicioresque ascensus per veritatis et virtutis itinera aptum, idem compellere.

Vobis denique, qui docta opera et sollerti industria vestra huic celebrationi parem rei gravitati nitorem comparastis, caelestium munerum copiam invocamus, et horum pignus Apostolicam Benedictionem ex animo impertimus ».

Haec verba Summi Magistri et Pastoris pignus constituunt fructuum Conventus ipsius, qui, collaboratione fraterna et spiritu Patris scientiae iuris canonici, Magistri Gratiani, suffulti, abunde maturescant.

A. M. Stickler *S. D. B.*

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Via Tripoli, 54 (Tel. 88.19.20)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950

TIP. ED. M. PISANI - ISOLA DEL LIRI